DE
MEMORIAE DAMNATIONE
QUAE DICITUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GODOFREDUS ZEDLER

VEGESACENSIS.

DARMSTADIAE

TYPIS C. F. WINTERI.

MDCCCLXXXV.

DE MEMORIAE DAMNATIONE QUAE DICITUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GODOFREDUS ZEDLER

VEGESACENSIS.

DARMSTADIAE

TYPIS C. F. WINTERI.

MDCCCLXXXV.

PATRI OPTIMO

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

Quemadmodum viris de patria bene meritis grata honorataque memoria summum persolvitur praemium, sic eos qui hostes in patriam se praebuerunt etiam mortuos macula ac dedecus persequi non desinunt. Inde apud Romanos, quippe qui honorum, quibus perduelles antea ornati fuerant, vestigia in monumentis remanere non paterentur, id memoriae abolendae studium natum est quo iis qui hostes iudicati erant quasi ne vixisse quidem concederetur, perinde ac notissimo illo Ephesiorum decreto sacrilegi illius, qui famae cupiditate permotus pulcherrimum Dianae templum incenderat, nomen in omne tempus interdictum esse fertur. Cui memoriae abolitioni, ut omittam illum nequissimos homines exsecrandi morem, apud nullum alium populum simile quicquam occurrit nisi apud Athenienses monumentorum in publico ponendorum more Romanis illos quidem non pares sed similes. Hi enim Livio teste (XXXI 44) anno 200 a. C. sciverunt 'ut Philippi (Macedonum regis a Romanis victi) statuae imagines omnes nominaque earum, item maiorum eius virile ac muliebre secus omnium tollerentur delerenturque, diesque festi sacra sacerdotes, quae ipsius maiorumque eius honoris causa instituta essent, omnia profanarentur; loca quoque, in quibus positum aliquid inscriptumve honoris eius causa fuisset, detestabilia esse, neque in iis quicquam postea poni dedicarique placere eorum, quae in loco puro poni dedicarique fas esset; sacerdotes publicos, quotienscunque pro populo Atheniensi sociisque, exercitibus et classibus eorum precarentur, totiens detestari atque exsecrari Philippum, liberos eius regnumque, terrestres navalesque copias, Macedonum genus omne nomenque'. Sed eiusmodi insigne veterum furoris

exemplum etiam apud Athenienses singulare [1] est, contra apud Romanos haec infamia cum in ingenti inscriptionum copia, quarum litterae ut saepe tempore exedebantur ita non raro scalpro deletae sunt, vestigia adhuc conspicua reliquit, tum multo maioris est momenti. Res igitur, de qua nostra aetate, ut praetermittam vetustiores dissertationes [2], quae de memoria damnata conscriptae sunt, prorsus obsoletas, harum liturarum, quae saepius nos aliquanto plus docent quam iram ac studium quo perduellium nomina deleta sunt, diligentius ratione habita alii [3] aliud observabant, haud dubie digna est quae per se ipsa tractetur. Quod ut faciamus, spes rei quo ampliora et meliora hodie suppetunt instrumenta eo magis illustrandae impulit.

Particula prior.

Cap. I.

Quid sit memoriae damnatio.

Antequam in Romanorum memoriae abolendae usum inquirere incipiamus, primum vera memoriae damnationis significatio stabilienda esse videtur, ne his verbis, quibus falso sensu uti consuevimus, de quaestione nobis solvenda in errores inducamur.

Memoriae enim damnatio et in vetustioribus [4] et in recentioribus [5] iurisconsultorum libris ita definitur ut sit ignominia

[1] Notum est eos Demetrii Phalerei quoque trecentas et sexaginta statuas delevisse cf. Diog. Laert. V 75, 77.

[2] Schreiteri Lipsiae 1689, Wollii Lipsiae 1776, quae pendent ex iis quae Lipsius excursu ad Tac. ann. VI 2 hac de re disputavit.

[3] Hirschfeld in Hermae vol. XI 1876 p. 156 sqq. — Mommsen, Röm. Forsch. vol. II p. 69 sqq. — Schmidt, Zwei getilgte Inschriften in Hermae vol. XV p. 574 sqq., imprimis p. 583 sqq.

[4] Vide dissertationes supra commemoratas.

[5] Rein, Criminalrecht der Römer 1844 p. 916, cf. p. 282, 501, 537. Pauly, Real. Enc. vol. IV p. 1456, vol. V p. 1328. — Walter, Geschichte des röm. Rechtes ed. III 1860 vol. II p. 457 § 803.

post mortem quae funere sollemni denegando, luctu propinquorum vetando, statuis deiciendis, nomine monumentis eradendo, omnino memoria abolenda contineatur. Haec si vera esset horum verborum significatio, memoriae damnatio ad solos perduelles vel ad eos maiestatis reos, qui perduellionis crimen in se admiserant (cf. Dig. IIL 4, 11), pertineret. Nam hac infamia quae memoriae damnatione contineri putatur neminem nisi perduellem affectum esse inter omnes constat, id quod ut ii negaverint qui his verbis illius infamiae notionem ac vim tribuerunt, tantum abest ut Reinius quidem (Criminalr. p. 916) suae memoriae damnationis definitioni diserte addiderit memoriam rei nisi propter gravissimum maiestatis crimen damnatam non esse. Sed vereor ne in hoc ipso vehementer erraverit. An quomodo congruit hoc, quod vir iuris consultus sibi persuasit, cum Dig. XXVIII 3, 6, 11: 'sed ne eorum quidem testamenta rata sunt, sed irrita fient quorum memoria post mortem damnata est ut puta ex causa maiestatis vel ex alia tali causa?' Quo loco non satis respecto cum rei memoriam ex alia quoque causa damnari potuisse apparet, tum omnino vulgarem horum verborum memoriae damnationis interpretationem refelli demonstrabo.

Unus adhuc, quod sciam, Schraderus, cui satis non erat vulgatam sententiam temere recipere, memoriae damnationem in iuris libris vulgari illo sensu intellegi non posse perspiciens quae esset horum verborum significatio diligenter anquisivit[1]. Et quamquam verum ut inveniret, ei non contigit, tamen neminem ea quae hac de re disputavit ad verum perduxisse valde miror. Ille enim fuit in hac opinione ut putaret memoriae damnationem antiquioribus temporibus in ipsa memoriae abolitione ut in nomine ex publicis privatisque actis delendo, statuis diruendis, luctu vetando constitisse, sed hanc memoriae damnationis significationem posterioribus temporibus, a quibus crudelis ille memoriae abolendae usus abhorreret, in iuris libris una cum verborum forma, cum eadem verba

[1] In annotatione ad Inst. IV 18, 3 in editionis suae Corp. Iuris Civilis (1824) vol. I p. 755 sq.

nusquam alibi exstare non ignoraret, paulum mutatam esse. Nam cum nihil cum memoriae damnatione coniungeretur nisi testamentorum donationumve inter virum et uxorem rescissio et similia quae bonorum publicationem contraherent, Schradero memoriae damnatio in iuris libris eam mortui damnationem significare videbatur quae bonorum eius publicationem contineret. Vix est quod dicam hanc verborum interpretationem a vulgata non paulum, ut Schraderus sibi persuasit, sed longissimo spatio distare, neque unquam iuris auctores tam obscura dicendi ratione usuros fuisse, qualem ille hac verborum interpretatione iis imputabat. Quid? eiusmodine damnationem eos memoriae damnationem significaturos fuisse credis? Neque quemquam hac in interpretandi ratione asseclam habuit, sed Reinius aliique vulgatam interpretationem retinere maluerunt.

Schraderum vero non fugit memoriae damnationem his locis Cod. VII 2, 2: 'ex testamento defuncti libertates praestari non possunt hereditate non adita vel si rei memoria propter crimen quod morte non intercidit damnata est' et Inst. III 1, 5: 'veluti si post mortem suam pater iudicatus fuerit reus perduellionis ac per hoc memoria eius damnata fuerit' nihil aliud esse videri quam mortui damnationem, sed hanc opinionem vel eo redargui existimavit quod memoriae damnatio non in repetundarum crimen caderet, quod non magis quam maiestatis crimen rei morte exstingueretur; neque enim repetundarum crimini aut omnium bonorum publicationem aut horridam illam omnis memoriae abolitionem convenire. Itaque quae subesset his verbis memoriae damnationis vis inquisiturus eam verborum interpretationem, ad quam nonnulli iuris librorum loci eum quasi invitum perduxerant, nulla ex alia causa reiecit nisi quod haec discreparet et cum vulgata verborum definitione, quam falsam esse recte perspexerat, et cum ea definitione, quam ipse magis suis ratiocinationibus quam omnibus iuris librorum locis, ubi verba occurrunt, satis inspectis superstruxerat.

Atqui illius loci supra allati (Dig. XXVIII 3, 6, 11) si diligentius rationem habuisset, illam verborum interpretationem

hoc argumento ut diceret si memoriae damnatio idem ac mortui damnatio esset, memoriam etiam rei repetundarum, quod crimen ipsum quoque in heredes transiret, damnari oportuisse, a se non infirmatam esse intellexisset. Nec enim dubium esse potest quin illo loco haec verba 'vel ex alia tali causa' ad repetundarum crimen referenda sint collatis Dig. IIL 2, 20: 'ex iudiciorum publicorum admissis non alias transeunt adversus heredes poenae bonorum ademptionis, quam si lis contestata et condemnatio fuerit secuta, excepto repetundarum et maiestatis iudicio quae etiam mortuis reis, cum quibus nihil actum est, adhuc exerceri placuit, ut bona eorum fisco vindicentur: adeo ut divus Severus et Antoninus rescripserint, ex quo quis aliquod ex his causis crimen contraxit, nihil ex bonis suis alienare aut manumittere eum posse' etc. Iam hinc apparet memoriam rei repetundarum non minus quam maiestatis damnari potuisse, unde sequitur non solum falsam esse vulgarem illam memoriae damnationis interpretationem, nisi forte quis contendet eandem infamiam atque perduelles repetundarum quoque reos secutam esse, sed etiam nihil obstare quominus memoriae damnationem ita interpretemur ut sit ea damnatio quae reo etiam post mortem itaque eius memoriae accidat. Neque igitur memoriae damnatio poena aliqua est sed certus damnandi modus qui secundum Romanorum ius pertinet ad maiestatis et repetundarum reos (cf. Dig. IIL 4, 11. IIL 2, 20. IIL 16, 15, 3. Plin. ep. III 9, 6) ac postea Theodosii aetate etiam in apostatas (Cod. I 7, 2) et in haereticos in usum vocatus est ut legitur in Cod. I 5, 4, 5 de haeret.: 'in mortem quoque inquisitio tendatur, nam si in criminibus maiestatis licet memoriam accusare defuncti, non inmerito et hic debet subire iudicium', quo loco luce clarius fit pro ipso mortuo memoriam eius solam relictam accusatam et damnatam esse.

Nam Romani accuratiore dicendi ratione quam nos usi mortuum, quippe qui esse desiisset, damnare non magis dixerunt quam mortuum restituere, sed eodem modo atque post mortem damnati non ipse sed sola eius memoria damnata restituitur, post rei mortem nihil nisi eius memoria

damnari potest. Cf. epitaphium Antii Lupi, 'cuius memoria per vim oppressi in integrum secundum amplissimi ordinis consultum restituta est' C. I. L. VI 1343 et Capitol. vit. Pert. c. 6: 'revocavit — eos qui deportati fuerunt crimine maiestatis, eorum memoria restituta qui occisi fuerant', quo loco Capitolinum horum memoriam restitutam esse propterea dixisse quod eorum statuae deletae nominaque monumentis erasa restituerentur, noli credere, sed idem ad illos, qui deportati fuerunt, pertinere infra videbimus.

Quibus dictis iam perspicitur memoriam mortui, quae damnetur, per se non magis abolendam existimari quam vivum qui aliquam ob causam damnetur capitis damnari oportere.

Iam vero, quamquam non vereor ne cui non persuasum sit argumentationem meam labefactari non posse, videamus num nostra memoriae damnationis interpretatio omnibus iuris librorum locis, ubi haec verba inveniuntur, satis conveniat. Atque duobus his locis Inst. III 1, 5 et Cod. VII 2, 2 supra allatis ei, ne nimium dicam, fidem addi, nemo erit qui neget, praesertim cum de priore loco veteres iuris interpretes consuluerit, nam in Theophili huius loci paraphrasi: οἷον ἐτελεύτησε Πρῖμος ὑπεξούσιον ἔχων υἱόν. μετὰ τὴν αὐτοῦ τελευτὴν ἀπετέθη κατηγορία κατὰ τοῦ τελευτῶντος ἐπάγουσα τὸ τῆς τυραννίδος ἔγκλημα — ἀπεδείχθη τύραννος ὁ Πρῖμος· ψῆφος ἐξηνέχθη τοῦτο μηνύουσα· ὁ φίσκος τὴν τούτου ἀποδέχεται οὐσίαν καὶ συμβαίνει, τὸν ὑπεξούσιον αὐτοῦ κληρονόμον μὴ γίνεσθαι, ἀλλ' ἐάν τις τὸ ἀκριβὲς ἐξετάσῃ, αὐτῇ μὲν τῇ ἀκριβείᾳ καὶ τῷ νόμῳ γίνεται κληρονόμος, παύεται δὲ κληρονόμος εἶναι τῆς τοῦ πατρὸς αὐτοῦ μνήμης καταδικασθείσης haec postrema verba illis κατηγορία κατὰ τοῦ τελευτῶντος respondent.

Sed alii quoque loci, nostram interpretationem si non confirmant ut Cod. IX 8, 6, 2: 'ad leg. Iul. mai. Post divi Marci constitutionem hoc iure uti coepimus, ut etiam post mortem nocentium hoc crimen inchoari possit, ut convicto mortuo memoria eius damnetur et bona eius successoribus eripiantur', at certe non infirmant. Nam quod Dig. XXXI 76, 9: 'repetendorum legatorum facultas ex eo testamento so-

lutorum danda est, quod irritum esse post defuncti memoriam damnatam apparuit, modo si iam legatis solutis crimen perduellionis illatum est' repetundarum criminis nulla mentio fit, id non mirum est, cum huius criminis rei memoria damnata testamentoque irrito facto nempe non omnia bona publicata heredibusque erepta sint. Neque hic locus Dig. XXIV 1, 32, 7: 'si maritus uxori donaverit et mortem sibi ob sceleris conscientiam consciverit vel etiam post mortem memoria eius damnata sit, revocabitur donatio' ullam habet difficultatem, cum eius qui ob sceleris conscientiam mortem sibi consciverat, bona statim nullo iudicio facto publicari potuisse constet (cf. Dig. IIL 21, 3). Sed restat locus ubi ipsorum iuris auctorum, qui id ipsum admonere volebant actionem etiam in mortuum reum institui posse, culpa quadam accidit, ut quid esset memoriae damnatio non recte intellegeretur. Etenim haec verba Inst. IV 18, 3: 'lex Julia maiestatis quae in eos qui contra imperatorem vel rem publicam aliquid moliti sunt, suum vigorem extendit, cuius poena animae amissionem sustinet et memoria rei et post mortem damnatur' ut ita interpretarentur ut maiestatis damnatio praeter capitis supplicium etiam memoriae damnationem i. e. eam ignominiam quae vulgo his verbis significari putatur reo contraheret, quomodo Reinius[1], Walterus[2] alii permoveri potuerint in propatulo est. Nihilo minus dubitari non potest, si vera sunt quae disputavimus, quin iuris auctores his verbis 'et memoria rei et post mortem damnatur' nihil aliud dicere voluerint nisi maiestatis reum etiam post mortem iudicium non effugere. Quam verborum interpretationem propter hoc vocabulum 'et' additum difficilem esse videri

[1] Criminalrecht p. 282: 'Bei crimen maiestatis kann nach dem Tode Anklage erhoben werden und die bei Lebzeiten begonnene Anklage wird fortgesetzt. Die Confiscation erfolgt ebenso, als wenn der Angeklagte noch lebte. — Ebenso erfolgt bei maiestas nominis et memoriae damnatio (s. bei den Strafen), auch wenn der Verbrecher vor der Condemnation gestorben war. Inst. III 1, 5'. — Scilicet nominis damnationem non iuris auctores, sed Reinius ipse excogitavit, ut falsam suam memoriae damnationis interpretationem dilucidiorem faceret.

[2] Geschichte des röm. Rechtes vol. II p. 457 § 803.

non nego, sed cum criminibus vulgo rei morte extinctis (cf. Dig. IIL 5, 11. IIL 19, 20) cur hoc vocabulum 'et' additum sit facile perspicitur, tum vero satis notum est in Institutionibus, id quod etiam hoc loco, sive mecum sive cum Reinio aliisque facis, satis demonstratur, nequaquam eandem accuratam dicendi rationem atque in Digestis esse adhibitam. Quae cum ita sint, iam intelleges unde factum sit ut his verbis memoriae damnationis falsa illa vis tribueretur. Nam cum illius loci quo memoriam rei damnare tam de mortuo repetundarum reo quam de mortuo maiestatis reo dici posse patet (Dig. XXVIII 3, 6, 11) ratione nulla habita memoriae damnatio ad eos qui maiestatis condemnati essent solos pertinere videretur, fieri non potuit quin ex errore error nasceretur, haecque verba eo sensu qui ut a vero alienus est ita ab ipsis verbis non abhorrere videbatur intellecta illud memoriae perduellium delendae studium significare putarentur.

Itaque iam Cuiacius[1] per errorem lapsus memoriae damnationem ita interpretatus est: 'damnatur memoria mortui, ut, quod pauci sciunt, omnibus notum fiat; damnatur, inquam, memoria mortui vel etiam vivi, cum interdicitur eius nomen posteris, ut eleganter Mamertinus ait in Panegyr. ad Iul. (c. 13). Cum si forte consul fuit, nomen eius fastis eximitur et eripitur, ut de Eutropii memoria damnata scriptum est in l. 17 C. Th. de poenis'. Inde hic error mansit vel certe haec verba falso illo sensu dici solent, qui quantum a propria eorum significatione abhorreat, eo maxime apparet quod etiam vivorum memoriam damnatam esse Cuiacius monuit: recte si vulgari, absurde, si vero sensu verba accipiuntur.

Sed haec verba memoriae damnationis ad illud memoriae abolendae studium significandum quamquam non recte adhibentur, tamen nihilo secius, cum iis eo sensu uti consueverimus, cumque accedat quod imperatorum memoriae abolitio quae longe gravissimi est momenti, plerumque memoriae damnatione effecta est, usurpari liceat. Quamquam equidem hac in dissertatiuncula ea consuetudine abstinebo.

---

[1] In annotatione ad Dig. XXVIII 3, 6, 11, Tom. IV p. 2254.

Nec vero postquam vidimus memoriae damnationem nihil ad nos attinere, hac in re diutius haereamus, sed iam via aperta ad quaestionem quam nobis proposuimus solvendam transgrediamur.

Cap. II.

De memoriae abolitionis usu ac ratione.

Iis quae praecedenti capite exposuimus apparet illud perduellium memoriae abolendae studium non certa quadam lege constitutum sed in antiquo Romanorum more non minus positum fuisse quam totam perduellium infamiam. Iam igitur qui fuerit huius memoriae abolitionis usus ac ratio illustraturo mihi, ut primum demonstrem quomodo ex infamia quae perduelles persequebatur ea memoriae abolitio nata sit, ab antiquioribus temporibus proficiscendum est.

Nam etsi illis temporibus perduellium memoriae, monumentis ab oblivione nondum vindicatae, abolitio nullius momenti fuit, tamen Romanos iam tum omnia perduellium quasi vestigia exstinguere studuisse videmus.

Sic ipsi perduellium penates domusque evertebantur, id quod Sp. Cassio, Sp. Maelio, M. Manlio, M. Flacco, L. Saturnino (Cic. pr. domo 38) atque ipsi Ciceroni ut hosti accidisse nemo ignorat. Ac ne cui unquam esset nomen a perduelle perpetua quadam macula aspersum, id quod apud Romanos eo facilius fieri potuit quod definita praenominum copia singulae gentes utebantur, antiquioribus temporibus ipsa gens, cuius fuerat perduellis, eius nomen ferri et assumi in omne tempus vetabat[1]. Gentis igitur Manliae decreto cautum esse ne quis deinde M. Manlius vocaretur Livius (VI 20) narrat

[1] Cui rei simile aliquid nuper apud nos evenit, cum familia illius qui abhinc paucos annos sanctissimae imperatoris nostri maiestati perniciem molitus est nomen suum Nobiling tanto scelere oblitum oblivioneque obruendum in Edeling mutaret.

idemque vel simile atque ab hac gente de M. Manlio, quod Marci praenomen ex eo tempore nunquam in gente Manlia occurrit, postea a senatu de aliis perduellibus decretum esse scriptores nonnunquam commemorant ut Plutarchus (Cic. vit. c. 49) de M. Antonio ne cui postea gentis Antoniae Marci praenomen esset, Tacitus (ann. II 32) de Libone Druso e familia Scriboniorum ne quis Scribonius cognomentum Drusi assumeret, idem (ann. III 17) de Cn. Pisone ut Cn. Piso filius praenomen mutaret quem deinde Lucii praenomen assumpsisse ex Dione 59, 20 perspicitur. Atque etiam posterioribus temporibus, cum hic nominum interdicendorum mos gentibus magis magisque solutis iam diu in usu esse desiisset, veterem usum non prorsus sublatum esse Antonini nomen, postquam Elagabali sceleribus pollutum est, ab imperatoribus nunquam resumptum (cf. Lamprid. vit. Elag. c. 34) demonstrat.

Temporibus autem progressis cum apud Romanos, quibus nullus fuit populus famae gloriaeque appetentior, nobiles imaginibus, quae se etiam mortuos repraesentarent tituloque subscripto nomina et honores et erga rem publicam merita proferrent, diligenter curare coepissent ne unquam memoria sua oblivione obscuraretur, num hac ratione coli debuit memoria hominis cuius ne domui quidem parceretur cuiusque ipsum nomen, quod civis ferret, indignum haberetur? Itaque perduellium imagines non modo non in medium proferri sed ne domi quidem haberi iussae sunt. Cicero quidem (pro Rabirio 9, 24) auctor est Sex. Titium condemnatum esse quia L. Saturnini imaginem domi haberet. Et C. Silio, Messalinae amatori, crimini fuit quod effigies patris[1] consulto senatus abolita in eius domus vestibulo reperiebatur (Tac. ann. XI 35). Unde sequitur cavendum esse ne quod de Libone Tacitus (ann. II 32) refert senatum censuisse ne imago eius exsequias posterorum comitaretur, id ita intellegatur ut hoc decreto Libonis imaginem tantum exsequiis anteferri senatus vetuerit[2].

---

[1] C. Silii qui sub Tiberio maiestatis accusatus mortem sibi conscivit cf. Tac. ann. IV 18—20.

[2] Aliter se habet de Bruti et Cassii imaginibus quae etsi exsequias

Sed multo magis quam in imagines domi habitas Romani in statuas aliaque monumenta honoraria, quae in publico collocari extrema re publica libera magis magisque coepta sunt, perduellium odium profundere potuerunt. Neque dubitare licet quin cum statuarum abolitione iam tempore rei publicae liberae interitum antecedenti illud ipsius nominis ex monumentis tollendi studium coniunctum fuerit. Nam quod turbis civilibus, quibus idem vir rei publicae modo dux modo hostis factus est, Marii[1], Sullae et Pompei[2], Lepidi[3], M. Antonii[4] statuas detractas esse scriptores tradunt, Antonii quidem non solum statuas detractas vel titulos honorarios deletos esse, sed ipsum nomen e fastis sublatum esse monumenta ostendunt. Eius enim nomen in fastis Capitolinis aliisque in litura repositum hic olim Plutarcho et Dione (ll. cc.) testibus a. 720/30 erasum esse constat.

Quod autem Hirschfeldius (Hermes XI p. 156) probante Mommseno (Roem. Forsch. II p. 71) Antonii nomen omnium primum publico iussu fastis excisum esse putavit, id num recte viri docti sibi persuaserint, valde dubito. Neque enim scriptorum, quibus hac de infamia perduelles semper persecuta non multa verba facienda viderentur, silentium ullius est momenti, neque mirum est tam paucis monumentis rei publicae liberae aetatis adhuc exstantibus in inscriptionibus nullum prius exemplum occurrere. Non magis movet quod

---

comitari non debebant (Tac. ann. III 76), tamen ab Augusto, qua erat prudentia ac temperantia ut omnes a rebus novis alienos sibi conciliaret, domi coli sitae sunt (Tac. ann. IV 35. App. b. c. IV 51. Dio 53, 32). Quarum imaginum cultum etiam postea moderati imperatores ut Traianus concesserunt (Plin. ep. I, 17, 3), contra Nero C. Cassium qui inter maiorum imagines etiam C. Cassii effigiem duci partium inscriptam coluerat, exsilio multavit (Tac. ann. 16, 7; Suet. Nero 37) — cf. de Gracchorum imaginibus Plut. vit. C. Gracchi c. 18.

[1] Plin. Hist. Nat. 34, 27. Plut. Caes. 5, 6.

[2] Plut. Caes. 57, Cic. 40. Dio 42, 18.

[3] Cic. ad. Brut. ep. 15, 9. Dio 46, 51.

[4] Dio 51, 19: καὶ τὰ τοῦ Ἀντωνίου κοσμήματα τὰ μὲν καθεῖλον, τὰ δ' ἀπήλειψαν κ. τ. λ. Plut. Cic. 49: τάς τ' εἰκόνας ἡ βουλὴ καθεῖλεν Ἀντωνίου καὶ τὰς ἄλλας ἠκύρωσε τιμάς.

dixit Mommsenus nomina ad annum notandum necessaria fuisse. Quid enim? postea usque ad quartum saeculum nonne nomina abolita hanc ad rem perinde ac rei publicae liberae aetate opus erant? Quae ratio cur posterioribus temporibus minus valuerit, non video, sed idem quod contra Hirschfeldium Mommsenus monuit (l. c. p. 69 adn.) cum statuae effigiesque alicuius detraherentur, tempus non fuisse deliberandi utrum nomen eradere utile esset necne, contra se ipsum monuisse mihi videtur, nam hoc de turbulentis extremae rei publicae liberae temporibus sane non minus quam de imperatorum aetate dici potest. Sin autem reputas quam domibus evertendis nominibus interdicendis imaginibus statuisque abolendis omnia perduellium quasi vestigia delere ac tollere Romani studuerint, illorum nomina quamvis necessaria in fastis remanere eos unquam passos esse putes? Quinam fieri potuit ut perduellis nomen fastis prolatum minus offendere minusque delendum videretur quam eius statuae titulique honorarii? Accedit quod Cicero etiamsi his oratoris verbis 'si appellandi sunt consules quos nemo est quin non modo ex memoria sed etiam ex fastis evellendos putet' (pro Sestio 14, 33) nimium pondus tribuere nolim, in oratione in M. Antonium habita (13, 12, 26) haec dicit: 'an vero castra potius senatum appellaremus? in quibus tu es videlicet consularis cuius totus consulatus est ex omni monumentorum memoria evulsus' quae verba ad nomen eius monumentis erasum spectare mihi quidem certum est[1]. Etenim minas — nam minae esse videntur cum senatus Antonium demum post hanc orationem habitam hostem iudicaret[2] — nimis ineptas iactat, nisi iam eo tempore eius

[1] Quod dicit Mommsenus (l. c. p. 71 adn. 12) haec verba ad acta Antonii rescissa referens Ciceronem, si illius nomen abolitum esse dicere voluisset, id non leviter attacturum fuisse miror. Neque enim intellego quibus planioribus verbis Cicero uti potuerit, sed quemadmodum illo priore loco (pro Sest. 14, 33) fere eadem verba quo spectent nemo non nesciat, sic ea etiam hoc loco dubia non esse iudico.

[2] Oratio habita est a. d. XIII K. Apriles; Antonius hostis iudicatus est a. d. X K. Maias a. 711/43. Drumann I p. 306.

qui hostis iudicatus erat nomen ut consulis ex omnibus monumentis tolleretur Romanorum moris fuit.

Quae cum ita sint, perduellis nomen fastis semper erasum esse cum Schmidtio[1] pro certo habeo. Ac, ni fallor, hoc ipso quod nomen in fastis, quibus proferri honos maximus esse debebat, nullo modo ferri potuit, illud omnis memoriae abolendae studium effectum est. Neque enim nomini quod fastis eraderetur alibi temperatum esse verisimile est, sed errares si ex eo quod Pisonis a. 774/20 maiestatis damnati nomen fastis radendum senatum censuisse Tacitus narrat (ann. III 17) concluderes ad id tempus morem fuisse ut odiosum nomen tantum fastis eximeretur. Immo senatum Pisonis nomen cum fastis excidendum censeret non solum fastis sed ubicunque ut consulis exstaret deleri voluisse, perinde ac Libonis imaginem exsequias comitari, quam ad rem imaginum ius praecipue pertinuit, vetitam omnino abolitam esse supra demonstravimus, et sponte patet et e Ciceronis verbis supra allatis (Phil. 13, 12, 26) colligitur.

Attamen sunt quae nobis opponi posse videantur. Tacitus enim eodem loco addit Tiberium Pisonis nomen ex fastis sublatum noluisse[2], 'quando M. Antonii, qui bellum patriae fecisset, Juli Antonii, qui domum Augusti violasset, nomina manerent'. Unde sequitur Augustum et M. Antonii nomen reponendum curasse neque Juli Antonii, etiamsi gravissimum maiestatis crimen in se admisisset, nomen fastis eradi passum esse. Quod ita se habere de M. Antonio testantur fasti Capitolini aliique, in quibus eius nomen in litura repositum cernitur, contra de Julo Antonio, cuius consulatus annus in fastorum lapidariorum fragmentis deest, Chronographus anni 354 et Idatius Taciti verba refellere videntur. Nam Mommseno concedemus horum tabulis consularibus annum 744/10 Africano et Maximo notantibus quae sunt cognomina Q. Fabii, Juli Antonii collegae, verisimile fieri in earum fonte illum consulem solum nominatum, huius nomen omissum

---

[1] Hermes vol. XV p. 583.

[2] Nihilo secius Pisonis nomen in inscriptionibus erasum deprehenditur vide infra p. 43.

fuisse. Juli nomen ipsum quoque postea ut fratris[1] ab Augusto repositum esse cum non sit cur statuamus, tamen tantum abest ut cum Mommseno anceps haesitem utrum Juli nomen e fastis erasum sit necne, ut contra Taciti verbis fide habita huius inter bonum auctorem et Chronographi consulum laterculum non minus fide dignum discrepantiae causam alia simili difficultate intellegi putem. Nomen enim A. Terentii Varronis Murenae consulis ordinarii anni 731/23, qui maiestatis a Tiberio accusatus in consulatu interfectus est[2], cum fasti Capitolini illaesum habeant, in fastis et lapidibus servatis Colotianis minoribusque VIII (C. I. L. I p. 472) et omnibus manu scriptis tacetur in eiusque loco Cn. Calpurnii Pisonis, qui fuit consul suffectus, nomen ut consulis ordinarii positum est. Quod qui aliter factum sit non video nisi ita ut nomen Augusto repugnante fastis illud quidem non eraderetur sed in fastis post Varronis obitum incisis ut perduellis omitteretur. Idem Juli Antonii nomini accidisse si statuimus, neque Taciti neque Chronographi fides in dubitationem nobis vocanda erit. Sed utut de hac re iudicabitur, cum certissimo fastorum Capitolinorum, quibus Varronis nomen si aboleri iussum esset vel maxime radendum erat, testimonio Taciti verba fulciantur, dubitare non licet quin Augustus eadem temperantia qua eum etiam Bruti et Cassii imagines coli passum esse vidimus neque Varronis neque Juli Antonii nomina ex fastis scalpro tolli siverit. Fortasse quaerat quispiam quid Augustum permoverit ut illorum nomina praeter morem fastis manere vellet. Qua in re nemo haerere potest cui qua diligentia Augustus alias[3] quoque omnia odiosa vitaverit notum est. Etenim saluti suae prospiciens ut illorum vitae parcere non potuit, ita illo-

[1] Huius memoriam ab Augusto a. 29 ex Oriente reverso paulo post restitutam esse propter eius cum Antoniorum familia amicitias et necessitudines haud dubie cum Mommseno statuendum est (cf. l. c. p. 79).

[2] cf. Suet. Aug. 19. Tib. 8 collatis fastis Capitolinis a. 731/29.

[3] Ut in commentario rerum de se gestarum turbarum civilium nisi brevissime mentionem facit civiumque quibuscum bella gesserat nomina tacet (cf. Mommseni edit. alteram p. VI) ac de coniurationibus contra se factis ne verbum quidem habet.

rum memoriae parcere non solum potuit sed etiam debuit. Quodnam odium multis novo rerum statu nondum assuetis in se convertisset Augustus, si illos saluti ipsius, qui libertatem oppresserat, insidias molitos eadem infamia affecisset quae usque ad id tempus iis adiecta erat qui libertatem ac salutem omnium periclitati essent. Unde apparet ea quae de nominum delendorum more supra diximus illo Taciti loco allato, ex quo non audacius conieceris sub Augusto fastos aliaque monumenta omnino scalpro intacta mansisse, nequaquam redargui.

Iam vero cum demonstrasse mihi videar nominum delendorum usum non subito anno 724/30 receptum esse sed perduellium quemadmodum memoria antiquitus tollenda visa est, sic nomina nunquam monumentis proferri sita esse, videamus quam percrebruerit imperatorum aetate haec nominum abolitio.

Ac primum quidem quamquam neminem cuius nomen sub Augusto deletum sit, ut praetermittamus M. Antonium, afferre possumus, posterioribus tamen temporibus maiestatis damnatorum nomina non iam scalpro illaesa mansisse monumentis satis docemur. Neque, cum ei indulgentiae qua Tiberium a. 774/20 in Pisonis memoriam usum esse vidimus postea sub eodem Tiberio nihil loci fuisse constet, a vero aberrabimus si, iuxta atque Asinii Galli, ut omittam Seianum, nomen monumentis erasum cernitur, alios quoque, quicunque sub Tiberio sequentibusque[1] imperatoribus maiestatis damnabantur, prout eorum nomina monumentis proferrentur, hac infamia affectos esse statuimus. Posterioribus quidem temporibus hanc infamiam maiestatis criminis etiam lenioribus deportationis vel relegationis poenis additam esse certum est.

Quod Cuiacius iam monuit cum diceret damnari memoriam mortui vel etiam vivi (cf. supra p. 8) collata Arcadii constitutione de Eutropio a. 399, quo ipso anno fasces gessit, damnato Cod. Theod. IX 40, 17, quae optime illustrans quam

[1] Hoc de Nerone quidem scriptoribus Galbam eorum qui ex causa maiestatis sub illo occisi essent statuas reposuisse enarrantibus (Zon. XI 14 D) certo scimus.

odiosissimum eunuchi quamvis vivi nomen tamen ubivis delendum fuerit, haec est: 'Omnes res Eutropii, qui quondam praepositus sacri cubiculi fuit, aerarii nostri calculis adiunximus erepto splendore eius et consulatu a taetra illuvie et a commemoratione nominis eius et coenosis sordibus vindicato ut eiusdem universis actibus antiquitatis omnia mutescant tempora nec eius enumeratione saeculi nostri labes appareat nec ingemiscant aut qui sua virtute ac vulneribus Romanos fines propagant vel qui eosdem servandi iuris aequitate custodiunt, quod divinum praemium consulatus lutulentum prodigium contagione foedavit. — Omnes statuas omnia simulacra tam ex aere quam ex marmore seu ex fucis quam ex quacunque materia, quae apta est effingendis ab omnibus civitatibus oppidis locisque privatis ac publicis praecipimus aboleri ne tamquam nota nostri saeculi obtutus polluat intuentum. Adhibitis itaque fidis custodibus ad Cyprum insulam perducatur in qua tua sublimitas relegatum esse cognoscat'[1]. Neque id solum ad infimam imperatorum aetatem cadere sed idem iam superioribus temporibus valuisse Schmidtius recte sibi persuasisse mihi videtur. Severi quidem aetate id in usu fuisse his Modestini verbis confirmatur Dig. IIL 19, 21: 'eorum qui relegati vel deportati sunt ex causa maiestatis statuas detrahendas scire debemus' neque, quamvis ex hoc Dionis (66, 9) loco: ἐς δὲ τὴν Ῥώμην ἐπέστειλε (sc. Vespasianus) τήν τε ἀτιμίαν τῶν καταψηφισθέντων ἐπὶ ταῖς λεγομέναις ἀσεβείαις ὑπὸ Νέρωνος καὶ τῶν μετὰ ταῦτα ἀρξάντων τῶν τε ζώντων καὶ τῶν τεθνεώτων ὁμοίως ἀπαλείφων καὶ τὰς γραφὰς ἐπὶ τοιούτοις ἐγκλήμασι καταλύων hoc verbo ἀτιμίας latissime patente nihil certi concludere liceat, negari potest verisimillimum esse vivos non minus gravi infamia affectos fuisse quam mortuos, quorum statuas deiectas nominaque abolita fuisse scimus (cf. supra p. 15). Si monumenta ipsa consules, nullum quidem, quod

[1] Nomen Eutropii, cuius etiam nondum damnati consulatum propter eius cum Stilichone inimicitias Romanae inscriptiones nunquam promulgasse videntur (vide de Rossi Inscr. christ. I ad inscr. 471 p. 203) in unico adhuc titulo Romae reperto (Notizie degli Scavi 1883 p. 15) exstat.

sciam, certum[1] eiusmodi liturae exemplum invenies, nam quod Titiani sub Magnentio a. 350 et 351 praefecti urbi, quem a Constantio veniam impetravisse constat (cf. Borghesi oeuvres III p. 461 sqq.), nomen una cum Magnentii titulo urbano C. I. L. VI 1166a erasum deprehenditur, id alienum est cum ibi nomen Titiani, tyranni collegae, remanere non potuisse appareat, atque Schmidtii coniectura[2], qua putet in basis Constantio positae (Eph. epigr. V 798 cf. Herm. XV p. 580—82) latere nomina deleta esse Eusebii et Hypatii a. 359 consulum, quos in suspicionem adductos a. 371 exsilio multatos esse, paulo vero postea integris dignitatibus revocatos esse Ammianus Marcellinus XXIX, 2, 11 tradit, nisi deletarum litterarum vestigiis adiuvabitur, non magis certa haberi quam refutari potest.

Neque tamen, etiamsi nulla revera exstet eiusmodi litura, id mirum non esse monere opus est. In universum vero cum insigne Eutropii exemplum docet evenire potuisse ut etiam eorum, quibus vivere concederetur, omnis memoria delenda existimaretur, tum hunc nominum abolendorum usum imperatorum aetate frequentissimum fuisse satis demonstrat magna eorum nominum copia quae usque ad quintum saeculum, quo demum tempore monumentorum ponendorum studium magis magisque refrigeratum est, in inscriptionibus nobis servatis erasa deprehenduntur, de quibus lituris infra accuratius disputabimus.

Restat ut quaeramus quae sit ratio in nominibus abolendis adhibita. Atque tenendum est hanc nominum abolitionem eo spectasse ut omnino perduellium memoria aboleretur

[1] Extat fortasse plus una eiusmodi litura sed nos latet, ut Crassi Frugi Liciniani, quem seditiones moventem sub Nerva relegatum, sub Traiano deportatum, sub Hadriano iniussu imperatoris interfectum esse scriptores enarrant (cf. infra p. 44), nomen quo tempore titulo urbano (Bull. dell' Inst. 1885 p. 22) deletum sit nescimus.

[2] Quod dicit Schmidtius ad coniecturam suam confirmandam (l. c. p. 586) si utriusque consulis nomen scalpro tolleretur una cum anni diei quoque notationem deletam videri, titulus C. I. L. III 3909, quo integra diei notatione utriusque consulis nomen erasum cernitur, hanc opinionem eum fefellisse satis demonstrat.

eorumque vita quasi infecta redderetur. Quod maxime elucet ex furore quo in memoriam eorum saevitum esse videmus qui potentia sua nisi impune quoad vixerant omnium hostes se fecissent acerbissimumque odium in se convertissent ut sub Tiberio, ut nominem cuius omnibus iam in mentem venerit, Seianus ille, cuius memoria ita abolita est ut ne uno quidem titulo eius consulatus mentio fiat, nedum ullus eius exstet titulus honorarius, cuiusque memoriam abolendi furor optime illustratur his Juvenalis verbis (sat. X v. 58 sqq.):

'Descendunt statuae restemque sequuntur
Ipsas deinde rotas bigarum impacta securis
Caedit et inmeritis franguntur cura caballis;
Iam strident ignes, iam follibus atque caminis
Ardet adoratum populo caput et crepat ingens
Seianus; deinde ex facie toto orbe secunda
Fiunt urceoli, pelves, sartago, matellae'.

Idem vero primae quoque, ut poetae verbis utar, faciei postea imperatoris alicuius, quippe quem vivum hostem iudicare senatus plerumque[1] nequiret, memoria damnata nonnunquam accidisse cuique notum est. Neque profecto nimis segnes moderative erant Romani ut illa consulta[2] senatus, quibus imperatoris nomen privatis ac publicis locis demovendum eiusque omnem memoriam abolendam censebat, ad verum perducerent. Sed inepto et puerili quodam furore in eiusdem quem vivum adulati erant statuas effigiesque, quas non metuendas truncabant tamquam si, ut eleganter dicit Plinius (Paneg. c. 52), singulos ictus sanguis dolorque sequeretur, odium suum profundebant. Quo autem furore

[1] Neronis quidem et Maximini non demum memoriam damnavit senatus, sed eos vivos hostes iudicare ausus est.

[2] cf. Tac. ann. VI 2: 'atroces sententiae dicebantur in effigies quoque ac memoriam eius' (sc. Liviae), ibidem XI 38; Suet. Calig. 60, Dom. 23; Lamprid. vit. Commodi 19: 'parricidae gladiatoris memoria aboleatur, parricidae gladiatoris statuae detrahantur', ibid. 20: 'abolendas statuas, quae undique sunt abolendae, nomenque ex omnibus privatis publicisque monumentis eradendum'; similia saepius. Scriptores Graeci de eadem re in verbo ἀτιμίας acquiescunt cf. Dionem 60, 4; 66, 9; 73, 5; 75, 8; 78, 9; 78, 19.

opus erat ad monumenta in honorem imperatoris alicuius facta, quorum ingens copia per totum terrarum orbem diffusa erat, omnia diruenda: imprimis ad odiosum nomen non solum ex imperatoris ipsius titulis, quos vulgus iam antea luto tegere solebat[1], sed 'ex omni aere vel saxo' ubicumque exstabat tollendum et ad nummos odiosos vultus prae se ferentes conflandos[2].

Infra videbimus qua diligentia nomen publicis ex titulis erasum sit, nam tituli privati quantum scalpro tacti sint, ut illustremus inscriptiones nobis servatae non concedunt, quamquam hoc pro certo affirmaverim privatis locis nomen semper magis demovendum existimatum quam revera demotum esse. Unicus quidem adhuc est, quantum scio, titulus privatus C. I. L. VI 4474 qui lituram exhibet, contra et in multis inscriptionibus Pompeianis parietinis Neronis nomen et in epitaphiis christianis eadem nomina quae publicis monumentis erasa sunt illaesa manserunt. Quamquam exstant amphorae in laterariis imperatoriis factae, quorum signis et Commodi et Getae nomina erasa sunt[3]. Sed quemadmodum ne eius quidem, in quem omnes odio ac dolore incensi vehementissime invecti sunt, nomen non ex memoria sed ne ex monumentis quidem prorsus evelli potuit, sic, cum cognitio, ut monet Lampridius (vit. Elag. 18), cogeret dici plerumque ea etiam nomina quae erant abolita, omnino satis esse debuit cavere ne honorifica perduellis mentio fieret. Nomen igitur abolitum non prorsus evitatum est sed etiam monumentis vixdum erasum statim denuo, nisi id perduelli honori erat, sine ulla dubitatione in lapide incisum est ut Plautiani nomen ubivis deletum (cf. infra p. 45) in titulo C. I. L. III 1464, in quo laudatur procurator ad bona (sc. publicata) Plautiani. Neque putem perduellis nomen adeo abolitum esse ut non

---

[1] Lampr. vit. Elag. 13: 'misit (sc. Elagabalus) qui et in castris statuarum eius (sc. Severi Alexandri) titulos luto tegeret, ut fieri solet de tyrannis.' cf. Ps. Sen. Oct. 794 sqq. Euseb. Hist. eccl. IX 11, 30.

[2] Nummis qui fornacem effugerunt nomen notamque saepius de industria detrita cernimus ut D o m i t i a n i et G e t a e (Dio 77, 12, 6) cf. Friedländer Repertorium z. ant. Numism. p. 38.

[3] cf. Dressel, Annali dell' Inst. 1878 p. 144 sq.

titulus sepulcralis nudum nomen continens ei poni sineretur. Quod qui comprobaret cum nullus ante exstaret (v. Mommsen, Röm. Forsch. II p. 70 adn.) titulus, iam ad certum redactum esse videtur titulo nuper Romae reperto[1] qui habet haec:

C · CALPVRNIO
PISONI · CRASSO
FRVGI · LICINIANO

Cursus enim honorum cur huic titulo sepulcrali desit explicari non potest nisi statuimus aut hunc Pisonem praemature mortuum esse aut eius honores laudari vetitos esse, quorum illud, cum desideretur patris nomen, parum probabile, hoc summae habet probabilitatis speciem. Audacius mihi Henzenus (Bull. l. c.) coniecisse videtur Pisonem illum fuisse filium L. Pisonis a Galba adoptati, cui si filius fuisset, de hoc scriptores nos certiores facerent.

Attamen nomina abolita, ubicunque eorum honorifica mentio facta esset, in posterum tacenda erant. Quod quantum revera factum sit, nunc videamus.

Cap. III.

De nominum abolitione observata ac sublata.

Nomina quae erant abolita in monumentis, nisi aliquo obscuriore quam honorificentiore modo significata sunt, ut in titulo Wilm. 64a Tiberio a. 32 posito quis esset 'hostis perniciosissimus p(opuli) R(omani)' nemini dubium esse potuit[2], plerumque prorsus silentio praetermissa invenimus. Quae no-

[1] Editus est in Notiz. degli scavi 1884 p. 394 et Bull. dell' Inst. 1885 p. 22.

[2] Similiter significatur Maxentius a. 312 a Constantino victus in inscriptionibus post mortem suam incisis: tyrannus VI 1139, saevus tyrannus Eph. V 1477, is qui saevissimam tyrannidem incurrerat X 5061; Magnentius a. 351 a Constantio victus: pestifera tyrannis VI 1158, taeter tyrannus VI 1163; Maximus a. 388 a Theodosio victus una cum Victore filio: exstincti tyranni III 737.

mina consilio omissa imprimis sunt imperatorum et consulum qui etiam mortui ex causis satis apertis non raro in monumentis commemorandi erant.

Itaque saepius in titulis honorum cursus continentibus imperatoris cuiusdam horum auctoris honorum nomen deest sive auctor plane praetermittitur [1], sive tantummodo imp(erator) Aug(ustus) nominatur [2] vel alio modo ita evitatur ut satis in obscuro lateat ut in titulo Wilm. 1589. An quis statim cognoscat 'priores principes' qui dicuntur hoc in titulo sub Traiano posito unum esse Domitianum? Quo ab odiosi nominis tacendi more valde discrepat titulus militis cuiusdam C. I. L. VI 2725, quo in titulo non ante a. 99/100 posito [3] ut Domitiani nomen taceatur, tantum abest ut contra legamus 'donis militaribus donatus bis ab divo Vespasiano et imp(eratore) Domitiano Aug(usto) Germ(anico)', id quod eo notabilius quia titulus in ipsa urbe repertus est. Neque habemus, quo haec Domitiani memoriae damnationis neglegentia explicetur, nisi statuimus militem imperatoris, cuius caedem gravissime ferret [4], etiam mortui observantissimum se praebere voluisse.

Quod vero annus saepius unius consulis nomine designatur, id, ut infimae imperatorum aetatis ratio praetermittatur, non factum est nisi aut consul erat ipse imperator, cuius nomen numero consulatus addito annum satis certo notabat,

---

[1] Ut Domitianus C. I. L. III 29, V 3356, VI 798, 3539 (cf. Hübner, Herm. XV p. 576), X 135. Arch. Epigr. Mittheil. VIII 1884 p. 219 Nr. 48. Henzen 6490.

[2] Wilm. 1161.

[3] Titulum non prius positum esse inde prodit quod miles e legione XVI Gallica in cohortem IX praetoriam translatus in hac annos VIII militasse et deinde missus honesta missione annos XXIII evocatus Augusti fuisse dicitur. Neque enim e legione XVI Gallica in cohortem praetoriam translatus esse potest nisi a. 69, quo anno Vitellius, a quo haec legio stetit, Romam victor ingressus est cf. Mommsenum Hermes XIV p. 32 adn.

[4] Suet. Dom. 23: Occisum eum (sc. Domitianum) populus indifferenter, miles gravissime tulit statimque Divum appellare conatus est, paratus et ulcisci, nisi duces defuissent.

aut collegae nomen tacendum erat[1]. Sed quamquam non semel alterius consulis nomen de industria omissum desideratur[2] atque etiam habemus titulum (Wilm. 1486) imperatori Philippo positum quo Elagabali ante triginta fere annos mortui nomine silentio praetermisso annus 218 Oclatinio Advento tantum notatur, tamen ut utriusque consulis nomen ad annum designandum adhiberetur adeo erat Romanorum moris ut fere nunquam nomina hanc ad rem necessaria, tametsi ea abolenda senatus censuerat, ex usu venirent. Non valde quidem laboratum esse in evitandis quae anni notatio requireret nominibus elucet ex titulo (Mommsen, Inscr. Helv. 78 = Wilm. 1584) sub Nerva posito (ut colligitur ex huius anticipato imperatoris titulo), quo anni 73, 83, 88 solum Domitiano II, VIII, XIII cos. designati sunt, cum annus 90 quo Domitianus XV, Nerva II consules erant imp. Nerva II cos. praetermisso Domitiani nomine designaretur. Quo factum est ut in tabulis consularibus manu scriptis quae nobis servatae sunt nomina olim abolita ut Neronis, Domitiani, Getae multorum aliorum exstent, ut si nunquam scalpro tacta sint, quam ad rem nihil refert utrum consul in ipso magistratu damnatus sit necne.

[1] Vide Borghesi, oeuvres V p. 75.

[2] Ut Seiani in fastis Arv. (Henz. act. p. CCXLV) et Nolanis C. I. L. X 1233; M. Furii Camilli ibid. X 1233; Neronis in fastis C. I. L. VI 3639 = X 6637; M. Vestini Attici quem inter coniuratos Pisonis occidit Nero (Tac. ann. 15, 68) in titulo Lunensi Wilm. 1619; Fontei Capitonis consulis a. 67 in fastis C. I. L. VI 3639 = X 6637, unde sequitur id quod narrat Tac. hist. I, 7 Fonteium Capitonem legatum Germaniae inferioris a Galba a. 68 occisum esse utrum ad consulem a. 59 an ad consulem a. 67 referendum sit, neque cum Haakhio (Pauly R. E. III p. 505) in medio relinquendum esse neque cum Kleinio (fast. cons.) ita disceptandum ut ad consulem a. 59 referatur, immo consulis a. 67 nomine hic omisso demonstratur hunc Galbae iussu interfectum esse (cf. Borgh. oeuvres V p. 74); Sex. Quintilii Condiani consulis a. 180 a Commodo occisi in titulo C. I. L. VI 1490; Commodi C. I. L. X 4726 et Boissieu p. 31, quos titulos non eodem anno, quo taurobolia facta sunt, sed inter annos 192 et 198 inde a Commodi memoriae damnatione usque ad eius memoriae restitutionem positos esse ex imperatoris nomine silentio praetermisso satis elucet.

Perpaucorum tamen consulum nominum abolitio posterioribus quoque temporibus observata est vel aliquid momenti ad tabulas consulares componendas habuit.

Itaque ut M. Antonii secundum consulatum a. 720/34 fasti Chronographi a. 354 et Cassiodori taceant in eiusque loco L. Sempronium Atratinum nominent, id haud dubie Antonii nominis abolitio hactenus effecit quod Antonii huius anni consulatus etiam post memoriam eius restitutam non agnoscebatur. Cuius rei causam praecipuam fuisse Augusti erga Atratinum benevolentiam, qua eum consulem ordinarium manere vellet, Mommsenus[1] haud dubie recte coniecit. De A. Terentii Varronis Murenae consulis ordinarii a. 731/23 nomine in omnibus praeter Capitolinos fastis omisso et de Juli Antonii consulis a. 744/10 nomine et in optimis Chronographi et in Idatii tabulis praetermisso atque de causis quibus haec tribuenda esse iudicem vide supra p. 14. Quorum consulum nomina cum non omnibus tabulis consularibus quae exstant proferantur, duorum consulum ordinariorum nomina nullis fastis edita perpetuo silentio obruta sunt. Horum unum est L. Aelii Seiani consulis una cum Tiberio a. 31 p. C. cuius eodem anno occisi nomen fastis exemptum neque unquam anno Ti. Augusto V satis certe notato in iis repositum est, ut de Seiani consulatu nihil sciremus nisi Suetonius (Tib. 65) et aliquot nummi, in quibus et ipsis verba Aelio Seiano consilio paene erasa sunt (v. Eckhel, doctrina num. vet. VI 196), de eo nos certiores facerent, alterum est imperatoris Macrini consulis a. 218 nomen, quod, cum Elagabalus in eius erasi nominis locum suum ipsius nomen substitui iuberet (Dio 79, 8), nunquam postea fastis receptum est, quamquam Elagabali nomen ipsum quoque senatus paulo post abolendum curavit.

Aliter vero res se habet inde ab ineunti saeculo quarto cum formula post consulatum eorum qui praecedenti anno hoc munere functi erant in usum venit. Quae ipsa formula primum a. 307 in fastis Idatianis et in praefectorum urbis

---

[1] Röm. Forsch. II 79 adn.

laterculo occurrens ex nominum abolendorum more nata est. Nam Tillemontium[1] aliosque qui erant in hac opinione ut putarent hanc formulam propter turbas post Diocletianum in privatam vitam degressum statim ortas hoc anno a nonnullis privato consilio adhiberi coeptam esse, eam opinionem fefellisse demonstravit Rossius[2] hanc formulam non privato consilio sed ad Maximiani Herculii, qui hoc anno cum Constantino fasces gessit, nomen tacendum publico iussu Romae institutam esse comprobans. Neque enim scriptoribus Maximianum Herculium imperiosius se gerentem a Maxentio filio hoc vertenti anno ex Italia fugere coactum esse enarrantibus[3] dubitari potest, quin Maxentius patris nomen ut hostis in Italia quam in dicione sua tenebat taceri annumque hac formula post consulatum Constantii et Galerii, quorum uterque a. 306 sextum consul fuerat, notari iusserit[4]. Quae post consulatum formula postea, sive quod consulum nomina tacenda sive quod ignota erant, saepe adhibita effecit ut tabulae nomina consulum quorum memoria abolenda existimata est non iam necessaria omittant ut in plerisque tabulis consularibus annus 309, cuius anni consules Maxentius et Romulus in sola Italia agniti sunt, P. C. Maximiani X et Galerii VII notatur. Atque quod Arcadius et Honorius Eugenio, qui a. 392 in occidente tyrannidem occupaverat, a. 394 de medio sublato praescripserunt Cod. Theod. XV 14, 9 (v. Gothofr. ad h. l.): 'Funestorum consulum nomina iubemus aboleri ita ut his reverentia in lectione recitantium tribuatur, qui tunc in oriente annuos magistratus victuris perpetuo sunt fascibus auspicati, tempus vero ipsum ac si non fuerit aestimetur', id ita ad verum perductum est ut Eugenii, qui a. 393 in occi-

---

[1] Histoire des Empereurs IV p. 623.

[2] Inscr. Christ. I p. XXV.

[3] Eutrop. X 2. Lact. de mort. pers. c. 28.

[4] Itaque legitur in inscriptionis christianae fragmento (Inscr. christ. Nr. 29) haec: Id(us) Decem(bres) Post VI i. e. post consulatum Constantii VI et Galerii VI. — Quo anni mense haec formula praescripta sit enucleari posse ipse Rossius desperat (l. c. p. XXVI), hoc unum constat id magis extremo anno factum esse.

dente Abundantii consulis locum usurpatum habuit, et Nicomachi Flaviani[1], qui a. 394 ab Eugenio fascibus ornatus fuit, nominibus omissis omnes fasti a. 393 Theodosium III Abundantium et a. 394 Arcadium III, Honorium II legitimos consules proferant. Eodem vero silentio aliorum tyrannorum, qui illis temporibus plus semel non solum bella moventes hominum pacem sed etiam consulatum suscipientes annorum notationem turbabant, nomina praetermittuntur sive formula post consulatum adhibita est sive consulum, qui extra tyrannorum regiones agniti sunt, nominibus repositis ne hac quidem formula opus fuit. Quin facilius quam hoc modo ne nomina abolita fastis remanerent effici potuit inde ab anno 399, ex quo anno non iam raro unius consulis nomen ad annum notandum adhibitum est (v. Rossium l. c. p. XXXI). Annum igitur 413 quo Heraclianus in Occidente, Lucius in Oriente consules processerunt, cum illius comitis Africae in suspicionem vocati et hoc ipso anno 413 interfecti vocabulum nec privatim nec publice ulla memoria teneret Honorius praescripserit[2], fasti 'Lucio solo' designant.

Videmus igitur, ut paucis quae de observata nominum abolitione exposuimus complectar, nomina abolita, si honorifica eorum mentio facienda erat, semper, quantum fieri potuit, illa quidem evitata esse sed quominus eiusmodi nomina fastis reciperentur, quamquam pauca illius nominum abolitionis vestigia iam in superiorum temporum fastis relicta sunt, inferiore demum imperatorum aetate impediri potuisse.

Praeterea autem, cum non raro princeps, simulatque imperium obtinuit, eos qui sub antecedenti principe maiestatis damnati erant restituere vel si iam mortui erant eorum memoriam restituere properaret[3], nomina quae erant abolita non raro legitime in usum recepta sunt. Qua damnatorum ipsorumve memoriae restitutione etsi honores quibus damnati

---

[1] De hoc cf. Symmach. ed. Seeck p. LI, LIX, CII—CIII 2.

[2] Vide Cod. Theod. XV 14, 13 et Gothofr. comm.

[3] Vide de Claudio Dio 60, 4, de Galba Tac. hist. II 92, Zonar. XI 14 D, de Othone Tac. hist. I 90, Plut. Otho I, de Vespasiano Dio 66, 9, de Nerva Zonar. XI 20, de Pertinace Dio 73, 5, vit. c. 6.

olim ornati fuerant omnes, quantum quidem potuit [1], restituti sunt, nequaquam videlicet effecit, ut etiam eorum nomina in monumentis, quibus olim erasa erant, ubivis reponerentur. Imperatorum quidem nomina eorum, quorum memoria damnata postea restituta est, ut Commodi, Severi Alexandri, non magna opera ut rescriberentur data raro in litura reposita cernuntur. Ac profecto cum haud parva esset titulorum qui scalprum subierant copia, nimia opera in lituris rescribendis insumenda erat, nam facilius delere quam restituere. Sed hac de re ut de aliis quae de nominum abolitione exposuimus, nullo modo melius edocemur quam ipsis exemplis quae nunc allaturus sum.

Particula posterior.

Cum iam ad alteram propositi mei partem transgressus nominum vel erasorum vel in litura repositorum exempla ex monumentis sumpta afferam, non solum id ago ut his liturarum adhuc conspicuarum exemplis ea quae priore huius dissertatiunculae parte disputavimus confirmem atque illustrem, sed etiam per se operae pretium esse videtur [2] has lituras colligere collectasque disponere atque de earum auctoribus non raro satis dubiis anquirere. Qua de causa operam dedi ut omnes inscriptionum lituras componerem hoc quidem secutus consilium: primum ut rationem haberem Graecarum inscriptionum non nisi earum quae habent lituras latinis in inscriptionibus non inventas, Latinarum autem inscriptionum neglectis vetustioribus collectionibus hac in re minus accuratis earum quae adhuc continentur Corp. Inscr. Lat. vol. I—X (nudis numeris signavi) eiusque supplemento Eph. Epigr. vol. I—V et praeterea quae sunt editae a Brambachio Corp. Inscr. Rhe-

[1] Nicomacho Flaviano, cuius memoriae restitutionis testis est titulus urbanus C. I. L. VI 1783, consulatus, quem ex fastis sublatum esse supra commemoravimus, honorem, quippe quo a tyranno ornatus fuisset, non redditum esse et sponte patet et ostendit hic ipse titulus quo ut omnes alii Flaviani honores laudantur ita eius consulatus tacetur.

[2] Vide Hermes XI p. 158 adn.

nanarum (C. I. Rh.), a Boissieu Inscr. de Lyon, ab Allmer Inscr. de Vienne, a Mommseno Inscr. Helvet. et quae exstant in Wilmannsii collectione et in ephemeridibus, quae quidem exempla operibus supra laudatis nondum prolata exhibeant; deinde ut excluderem eas lituras quae non factae sunt vel certe non factae videntur eo consilio ut nomen ex memoria tolleretur[1]; tum ut inscriptionum earum quae nomina imperatorum erasa exhibent nimis magnam copiam omnem afferre supersedens in eligendis exemplis ad studium quo cuiusque eorum nomen aboleretur illustrandum maxime idoneis acquiescerem. His praemissis iam ad singula transeo hunc ordinem instituens ut deinceps de imperatorum[2], privatorum, legionum nominibus erasis rescriptisve disputem.

---

[1] Inscriptionum liturae quae non ad nominum abolitionem consulto factam pertineant tribus maxime causis debentur: primum cippis miliariis saepius superiorum imperatorum nomina erasa sunt ut posteriorum imperatorum qui viam restauraverant nominibus locum darent ut III 468, VIII 10220, 10221, Eph. IV 108, Eph. V 78; cf. Suet. Nero 55, Dom. 5, Vit. Comm. 17; deinde inferiore quidem imperatorum aetate non raro factum est ut veteres bases titulis suis orbatae recentibusque instructae denuo dedicarentur ut basis urbana Constanti Caesari posita VI 1157, in cuius basis latere deletum imperatoris Claudii nomen, quod tamen certe legitur, hanc basim antequam Constanti dedicaretur vetustiore inscriptione privatam esse demonstrat; tum lapidibus ad aedificandum adhibitis additamenta nonnunquam inscriptio olim incisa erasa est v. VI ad 1796 p. 856 sqq.; denique vero ex aliis quoque causis liturae factae sunt non semper apertis ut in titulo Campano I 569. = X 3781 duodecim magistrorum a. 99 a. C. nomina cur deleta sint non liquet, ex fastis Capitolinis a. 766 C. Silii cognomina Caecinae Largi propterea sublata esse quod iis Silius iure usus non esset comprobavit Mommsenus (I p. 451, Herm. III p. 71), in fastis Iulianis putante Henzeno (act. fr. Arv. p. CCXXXIV) ea quae Caligula in honorem Germanici innovaverat post eius mortem deleta sunt, in titulo Puteolano X 2826 qui est Patulciorum monumenti sepulcralis, horum nomina fraude Patulciani fundi emptoris abolita sunt, ut etiam huius monumenti locum qui Patulciis manserat sibi vindicaret (cf. X 3334), in titulo IX 3089 Veneris nomen scalpro tactum est id quod Mommsenus Christianorum hanc in deam odio tribuit.

[2] Titulorum quibus imperatorum nomina erasa sunt non honorariorum numeros uncinis inclusi, fastorum numeros littera f addita signavi.

Cap. I.

De imperatorum nominibus erasis rescriptisve[1].

Primus imperator cuius nomen inscriptiones[2] erasum habent Caligula est. Nec vero Claudio ne eius memoriam senatus damnaret repugnante (Dio 60, 4, 5) Caligulae nomen aboleri publice iussum est, quamquam Claudio ipso auctore eius statuae noctu detractae sunt eiusque nummos senatus conflandos curavit (Dio 60, 4; 22).

Caligulae uxoris Caesoniae, quae cum marito periit (Suet. Cal. 59), nomen in actis fr. Arval. a. 40 deletum esse probabiliter coniecit Mommsenus (Henzen act. p. LI).

Certe Claudii uxorum nomina scalprum subierunt et Messalinae a. 48 interfectae, cuius 'iuvit oblivionem senatus censendo nomen et effigies privatis ac publicis locis demovendas' (Tac. ann. XI 38), in titulis VI 918 et (4474) quo in titulo privato mirum in modum Valeriae nomen deletum est cognomine Messalinae retento, et Agrippinae ab ipso Nerone filio a. 59 occisae in titulo X 1574 una cum Neronis, id quod non eidem scalpro deberi videtur.

Neronem, in quem supremum gentis Claudiae imperatorem odium suum nullo modo coercitum profundere potuit senatus hostem iudicavit (Suet. Nero 49) eiusque nomen aboleri iussit[3]. Sed turbis civilibus tum ortis Neronis memoriam minus odiosam fuisse (Suet. Nero 57) et Othonem imagines statuasque eius reponi passum memoriae eius abolendae stu-

[1] De titulis erasa imperatorum nomina continentibus cf. Aschbach, Ber. d. Wiener Akademie 1857 p. 85 sqq.

[2] In Italia: V (5722) Wilm. (910 a) X (901, 904), in Gallia: Allmer 7; in longe igitur plurimis titulis nomen illaesum mansit.

[3] Neronis nomen erasum est Romae VI (396) 1984 f. et alibi. C. I. Rh. 164 repositum est pro eraso Neronis nomine Tiberii.

dium continuisse (Suet. Otho 7) inscriptiones[1] non raro Neronis nomen illaesum habentes testantur.

Vitellius Neronis Galbae Othonis memoriam coli sivit (Zonar. XI 16), sed ipse etiam mortuus usurpati imperii pretium tulit (Tac. Hist. III 85). Verum pro brevi eius imperii tempore in inscriptionibus vestigia vix exstant eius nominis. Quod cum deleretur in actis fr. Arv.[2] et Vitellii privati in actis a. 57 et imperatoris in actis a. 69, quo loco Arvales in votis pro salute et reditu Othonis susceptis in huius nominis abrasi locum Vitellii, cum victor urbem intraret, antea substituerant (Henzen act. p. 115), remansit Romae VI 929 et in Sardinia X 8016.

Domitiani autem memoria quo cum furore abolita sit non minus inscriptiones quam veteres scriptores (cf. Plin. Paneg. c. 52) illustrant neque multi sunt tituli[3] qui senatus consultum eius 'eradendos ubique titulos abolendamque omnem memoriam' (Suet. Dom. 23) evaserunt.

Ipsius M. Aurelii, quo nullius imperatoris memoria populus Romanus gratiore animo coluit, nomen scalpro tactum est in titulis Numidicis VIII 4593 10658 iussu, id quod putat Mommsenus, eiusdem legati cuius ipsum nomen VIII 2581 exsculptum cernitur.

'Infaustum Commodi vocabulum ex omni aere vel saxo placuit eradi'[4] (Macrob. sat. I 12, 37 cf. vit. Comm. 19, 20).

---

[1] Remansit nomen ·Romae VI 921, 922, 925, 926, 927 (194, 268, 853, 4342, 4343, 4344, 8802, 8803, 8806, 8807 et in act. fr. Arv.) et alibi saepius.

[2] L. Vitellii imperatoris fratris nomen scalptoris neglegentia ut videtur erasum est in act. a. 63.

[3] Domitiani nomen multis titulis abrasum ut Romae: I p. 442 f. Cap. VI 932 1984 f. (20, 398, 525, 541, 621, 1495), remansit: Romae VI 2016 f. (826, 8410 et in act. fr. Arv.), in reliqua Italia V (7506) IX 4677[a], 4955 (3469), X 1631, 1632, 5405 f. (444, 867, 1422), in Sardinia X 7353, 7883, in Hispania II 656, 1945, 4721 (1963), in Africa VIII 1850, 10116, 10119 (792, 5415), in Aegypto III (37), in Bithynia Eph. V 96.

[4] Inter multos titulos qui scalprum subierunt notabilis est titulus Africanus VIII (9234) haec habens: Divo M. Antonio Pio *imperatoris patri*. Etiam ex hoc amphorae signo: 'opus dol. ex praed. Staton. Comm.

Sed eius memoriam Septimius Severus, ut senatum ob conspirationes cum Clodio Albino factas castigaret, paucis annis post restituit inter divosque rettulit quem hostem senatus iudicasset (vit. Severi 11, 12), id quod se facturum Didius Julianus iam praetorianis promiserat (vit. Jul. 2). Nomen igitur Commodi erasum in litura repositum deprehenditur[1] in Italia et Africa, quibus in terris etiam Divo Commodo tituli positi sunt[2]. Ceterae quidem provinciae hanc adulationem recusasse videntur, quamquam ubivis Severus in inscriptionibus inde ab a. 198 positis divi Commodi frater nominatur.

Crispinae, Commodi uxoris, quae mariti iussu Capreas deportata ibique occisa est (Dio 72, 4), nomen fortasse titulo urbano IV 1024 abrasum est.

Clodii Albini, qui cum Septimio Severo de imperio decertans a. 197 devictus est (vit. Severi 10), nomen consilio sublatum est VI (724), VIII 1549[3], Boissieu p. 33.

Septimii Severi nomen Albino auctore titulo Maure-

Aug. domin. n. ex fig. ma. disp.' Commodi nomen sublatum observavit Dressel (Annali dell' Instituto 1878 p. 144 sqq.). Remansit tamen Commodi nomen Romae VI 420, 727, 790, 992, 1016 a, 1024, 1540, 1979 f., 1980 f., 2004 f. (212, 213, 631, 632, 725, 746, 861, 1017, 1503, 1599, 2382 b, 3550, 8420 et in act. fr. Arv.), Eph. IV 889 b (811 b), in reliqua Italia V 4318, 4867, IX 273, 1665, 5430, X 1648, 4760, 6001, in Germania C. I. Rh. 1019, 2035 (647, 1325, 1617, 1618), in Gallia Allmer 17, 20, in Brit. VII (168, 962), in Hisp. II 1337, 1725 b, 4083, in Dacia III 865, 1092, in Asia III 349, in Africa passim.

[1] In Italia VI 1502, X 7237, in Africa VIII 1311, 1402, 2495, 2699, (2366, 2405), Eph. V 1180. In VIII 1356, 4212 divus Commodus in litura repositum est (in VI 414 a pro Commodi nomine Septimii Severi et in VI 1016 a Severi Alexandri nomina rescripta sunt). Eodem referendum est quod Inscr. Helv. 64 in titulo a. 201 posito miles occurrit leg. VIII Aug. P. F. C(onstantis) C(ommodae), quamquam hoc cognomen post Commodi memoriam damnatam abolitum erat.

[2] In Italia: VI 1025, X 1116, in Africa VIII 4213, 4482, 4596, 4597, 4826, 6944, Eph. V 504, 750, 898.

[3] cf. Cagnat (archives des missions scient. et littér. IX 1882 p. 87 n. 50) qui hoc in titulo nomina Clodii et Albini erasa, Septimii et Caes. retenta sese vidisse affirmat.

tanico VIII 9754 excisum esse Mommsenus qui coniecit ipse monuit non solum Africam Clodii Albini rebus favisse scriptores non tradere sed etiam mirum esse nomen Caesaris Antonini Severi filii illaesum mansisse.

Getae a Caracalla fratre a. 212 occisi nomen, quod ita lege sanctum fuisse ut si quis scriberet vel diceret nomen Getae, statim periret Dio 77, 12, 5 tradit, horribili quadam diligentia ex monumentis sublatum est[1], ut in titulis, quamvis magna sit eorum in quibus occurrit copia, vix intactum deprehendatur[2]. Deleti nominis loco in titulis Getae una cum fratre positis saepe Caracallae inserti sunt honorifici tituli ut 'super omnes retro principes invictissimi, patris patriae, Parthici Britannici' alii, qui tempori, quo inscriptio incisa est, non raro non conveniunt. Nec vero lacuna hoc modo expleta semper deleti nominis evanuerunt vestigia, sed in arcu Septimii Severi (VI 1033), in quo litteris Getae nominis aereis demotis in lacuna reposita sunt 'p. p. optimis fortissimisque principibus' quae verba spectant ad Severum et Caracallam, foramina clavis quibus priores litterae marmori affixae fuerunt ereptis orta has litteras indicant demotas: '*et p. septimio getae nobilissimo caesari.*'[3]

Eodem modo atque Getae etiam Plautillae, Caracallae uxoris, paulo post Severi mortem necatae (Dio 77, 1) nomen

---

[1] In sola Africa plus septuaginta tituli Getae nomen erasum habent. cf. VIII 1439 Augg*g* nn*n*, C. I. Rh. (520) *duobus* Augg coss, Eph. V 1174 *p. septimio getae nobilissimo caesari aug-fil-fratri-nep-pronep.-abnep-adnep.* — Cognomen trium legionum in titulo Dacico III 1464 excisum Geticae fuisse Mommsenus repugnante Deiardino (Rev. Arch. 17, 26) conicit. Quae litura, si cum Mommseno faciendum sit, nobis demonstrat dissensiones inter Caracallam et Getam etiam legiones attigisse, sed, cum ii qui lapidem recognoverunt de G littera paene erasa dubitaverint (Eph. Epigr. II 430), res in medio relinquenda est. — Getae Severi fratris nomen errore ut videtur scalptoris deletum est VI 220, III 5802, VIII 2557. — cf. Dressel Annali dell' Inst. 1878 p. 144.

[2] Remansit Getae nomen tantum Romae VI (210), in reliqua Italia X 1585 Bullett. dell' Inst. 1884 p. 11, in Sardinia X 7949, in Germania C. I. Rh. (1854), in Brit. VII 200, in Africa VIII 8796.

[3] cf. Bormann Bull. dell' Inst. 1879 p. 40.

erasum[1] cum in eius lacuna Iuliae Domnae, Severi coniugis, titulo 'matris castrorum' adderetur: 'et senatus et patriae,' plerumque ne vestigiis quidem litterarum prehendi potest.

Caracallam ipsum senatus hostem iudicasset, nisi militum metu a proposito suo deterritus esset (Dio 78, 9). Itaque Caracallae nomine publico iussu scalpro non tacto tituli incerti temporis, qui M. Aurelii Antonini nomen deletum habent, aut Commodo aut Elagabalo tribuendi esse videntur, nisi ex aliis indiciis Caracallae nomen esse exsculptum ut C. I. Rh. 1573 manifestum est.

Macrini et Diadumeniani filii, in quos occisos senatus velut in tyrannos invectus est (vit. Macrini 7), nomina fere ubivis[2] scalpro sublata sunt, hac tamen ratione ut M., Severi, Antonini nominibus parceretur.

Id ipsum Antonini nomen ad id tempus gratiosum, postquam Elagabali sceleribus inquinatum perpetua aspersum est macula, 'erasum est iubente senatu' (vit. Elag. 17). Atque inscriptionum, quae quidem scalprum subierint, non plus duo III 3713, VII 964 Antonini nomen illaesum, ceterae ad maximam partem hoc nomen solum deletum habent[3].

Juliae Soaemiadis una cum Elagabalo filio interemptae (vit. Elag. 18) nomen abolitum est X 6002, VIII 2715, VIII 2564, quo in titulo etiam Juliae Maesae Elagabali et Alexandri aviae nomen cum filiae et nepotis neglegentia ut videtur scalptoris, cum in duobus aliis titulis remaneret, exsculptum est.

Ac ne Severi Alexandri quidem a senatu post mortem inter divos relati (vit. Alex. 63) nomen scalprum effugit, sed

---

[1] Romae VI 120, 180, 220, 226, 354, 419, 1035, 1074, alibi passim; remansit in Sicilia X 7336.

[2] Romae 1984 f., 2001 f., 2009 f. (367), in Sicilia X 7280, in Africa VIII 4598, 10056, 10464, in Norico III 5728 (Diad. n. remansit), Eph. II 392, in Pann. inf. III 3714, 3720, 3724, 3725, 3726, Eph. II 757; remanserunt in Hisp. II 4789, in Norico III 5708, 5736.

[3] Plura erasa sunt Romae VI 2999, 3839, in rel. Italia X (6002), in Germ. C. I. Rh. 1956, 1958, 1961 (1138), in Brit. VII 964, in Africa VIII 2564, 10124, 10127, 10161, 10295, 10308, 10347, in Pann. inf. III 3713.

Maximini iussu paulo post una cum Mammaeae matris non parcius deletum est[1] quam Commodi aliusve odiosissimi tyranni (Herod. VI 9, 7). Alexandri memoria post Maximinum oppressum illa quidem restituta est, sed nomen fere nusquam nisi in Africa Gordianis haud dubie auctoribus in litura repositum[2] cernitur.

Quod Barbiae Orbianae, Severi Alexandri uxoris nomen una cum mariti X 1654 erasum est, id scriptoribus Orbianam in Africam deportatam esse enarrantibus (vit. Alex. 49) eodem scalpro factum sit certe non necesse est.

Maximinum Maximumque filium senatus in Gordianorum, qui in Africa purpuram sumpserant, partes clam transgressus, cum Gordianis a Capelliano Numidiae legato devictis Africaque Maximini in dicionem redacta veniae ab irato imperatore impetrandae spes nulla esset, hostes iudicavit atque imperatoris occisi nuntio Romam allato acclamavit, id quod quidem Capitolinus (vit. Maxim. 26) tradit, Maximini nomen olim erasum[3] nunc animis eradendum. Nomen vero Maximini, quod in Africa in nonnullis titulis[4] Capelliani scilicet iussu in litura repositum est, in Germania, Gallia, Hispania multis in titulis nunquam scalpro tactum[5] demonstrare videtur

---

[1] Erasum est (asteriscus Mammaeae etiam nomen deletum esse significat) Romae: VI 223*, 230, 1984 f., 1991 f., 2001 f., 2009 f., 2832*, 2833*, 2836, 3785, Eph. IV 746 (in act. fr. Arv. a. 231 Henz. p. CCXVI), alibi passim, in sola Africa in titulis fere XL; remansit Romae VI 186, 323, 1083, 1084, 1454 (266, 267, 2998, 2999, 3015, 3027, 3062, 3063, 3069, 3075, 3076), Eph. IV 747.

[2] VIII 1313, 1406? 1429, 1485, 2659, 10421, Eph. V 719, 1121, 1263; praeterea Romae Notizie degli Scavi 1883 p. 458 una cum Maesae et Mammaeae nominibus, in reliqua Italia X 3856.

[3] Romae 116? 117? 428, 2001 f., 2009 f., in rel. Ital. V 7989, IX 3014, X 6811, in Brit. VII 621, in Africa VIII 1426? 4515, 10083, 10045, 10095 (2673), in Raetia III 5985, in Pann. inf. 3708, 3722, 3732, 3739, 3740, Eph. II 754.

[4] VIII 757, una cum Maximi 10047.

[5] Remansit Romae VI 1085, in reliq. Italia V 5123, 8076, IX (2125), in Germania C. I. Rh. 1552, 1944, 1963 (1336), in Gallia Allmer n. 27, 28, Boissieu p. 369, in Hisp. II 4649, 4693, 4695, 4696, 4756, 4757, 4758, 4788, 4816, 4826, 4834, 4853, 4858, 4870, 4874, 4886, Eph. II 178, in

non omnes statim provincias cum senatu fecisse, ut Capitolinus (vit. Max. 15, 3) narrat, sed plerasque exspectasse uter victor discessurus esset.

Quod Pupieni et Balbini, quorum memoria illaesa mansit (cf VIII 10342, 10343, 10365), nomina in Cappadocia Eph. V 77 erasa sunt, id, nisi cum Mommseno statuimus provinciales longius remotos hoc errore captos esse ut illos militari seditione interemptos (vit. Gord. 22, vit. Max. et Balb. 14) ut hostes cecidisse putarent, quo referamus non magis habemus quam Gordiani nomen in Hispania II 3406 et in Pannonia inferiore III 4644 consilio sublatum.

Philippi et Otaciliae Severae coniugis horumque filii nomina[1] post Decii victoriam a. 249 a Philippo apud Veronam reportatam (Vict. Caes. 28, 10) ut hostium abolita sunt, etsi Decius Philippos inter divos rettulisse fertur (Eutrop. IX 8).

Deciorum, quorum memoria semper gratiosa erat, nomina in Italia in titulo Faleriis reperto Wilm. 1017, in Germania C. I. Rh. 1826, in Syria Le Bas-Wadd. III 2544 deleta sunt. Quod quibus e causis factum sit parum certum est. Ex tituli Falisci litura Mommsenus (Bull. dell' Inst. 1865 p. 27 sq.) collato hoc loco Victoris Caes. 29: 'Decio quam potuit maturrime Roma digresso Julius Valens cupientissimo vulgo imperium capit' concludit hanc seditionem, quam Trebellius Pollio (vit. tyr. trig. 20) in Illyrico ortam esse auctor est, Victoris verbis fide habita Romae factam esse. Alia litura C. I. Rh. 1826, ni fallor, ad bellum civile referenda est quod in Gallia motum Decium oppressisse nemo nisi unus Eutropius IX 4 tradit[2]. De litura vero tituli Syriaci ne coniectura quidem probabilis in promptu est, nam quod Waddingtonius

---

Africa VIII 93, 9039, 10021, 10025, 10075, 10152, 10153, 10179, 10203, 10214, 10215, 10240, 10254, 10459, Eph. V 1316, in Norico III 5742, in Pann. sup. III 4630, 4643, in Pann. inf. III 3711, 3716, 3727, 3734, 3735, 3736, 3743, 6465, Eph. II 625, 763, 764, 911, Eph. IV 144, in Cappadocia Eph. V 75, 76.

[1] Omnium trium nomina erasa sunt Romae VI 793, in Africa VIII 8809, Eph. V 1079.

[2] Schiller, Röm. Kaisergesch. I p. 805 adn. 6.

sibi persuasit Christianos ad iniurias quas Decio regnante accepissent vindicandas nomen abolevisse, id valde in dubium vocatur iis quae monuit Rossius Inscr. christ. I p. X, etiam acerbissimorum Christianae religionis persecutorum nomina permultis inscriptionibus Christianis memoriae prodita esse neque ullo modo probari Christianos iniurias sibi adiectas persecutorum memoriam contemnendo vel abolendo rependisse.

Gallorum nomina num in titulo Britannico VII 949 erasa fuerint cum non constet, hac in re non haereo.

Valeriani nomen una cum Gallieni filii in Pannonia superiore III 4653 et Divi Valeriani in Italia IX 5682 deletum est haud dubie postquam Gallienus apud Mediolanum occisus tyrannus militari iudicio in fastos relatus est[1] (vit. Gall. c. 15), quamvis ex Victore Caes. 33 colligatur Claudium illo iudicio irrito reddito Gallienus ut consecraretur curasse (cf. Eckhel VII 416, Schiller l. c. p. 845 adn. 6[2]).

Aureliani nomen cuius iussu in Italia V 4319 et in Asia III 472 scalpro tactum sit non magis liquet quam quomodo factum sit ut Probi nomen in Italia X 3728 et in Africa VIII 100, 1353 (?) eraderetur, etsi 'occupato bellis tyrannicis Probo per totum paene orbem' (vit. 18, 2) harum liturarum causas in illorum temporum turbis positas esse, perinde atque Mommseno certe recte coniciente in Hispania II 3738, 4507 (?) Probi nomen abolitum est a Proculo et Bonoso tyrannis, certum est.

Cari[3] et Numeriani[4] nomina eodem modo atque Valeriani nomen post Gallieni mortem simul cum Carini[5]

---

[1] Gallieni nomen erasum est Romae VI 1107, in reliqua Italia V 856, 857 (una cum Saloninae uxoris) 1762, IX 4961, X 5804, in Brit. VII 107, in Pann. inf. III 3424 (cf. Schiller l. c.) 4653. Salonini Gallieni filii minoris natu nomen deletum est IX 5683.

[2] Non recte mihi Sch. Victoris verba plane repudiasse videtur. cf. Gibbon II p. 5 cum adn. 1 v. Sporschil[4] 1862.

[3] In Hispania II 4102, 4507 (?), in Africa VIII 4201, 10250 (?).

[4] In Italia Wilm. 1052, in Gallia Bull. dell' Inst. 1869, 264, in Africa VIII 10282, 10283; cum Carini VIII 2529, 2530, 5332.

[5] Praeterea (cf. adn. 4) in Hisp. II 4103, in Pann. inf. III 3469,

a Diocletiano devicti deleta esse videntur, nam quod putat Allmer (Bull. dell' Inst. 1869 p. 264) Numeriani nomen erasum esse eo tempore quo Diocletianus se Numeriani ultorem esse praedicans Carino bellum inferret, id et per se parum probabile et titulis refutatur.

Diocletiani collegarumque nominum erasorum auctores alius alia coniectura assequi conatus est, sed cum instrumenta hanc ad rem diiudicandam nondum sufficerent nemo adhuc coniecturam protulit ex omni parte probabilem. Ac primum quidem dubitari non potest quin illorum nomina non privato consilio sed publico iussu erasa sint neque iam erit qui ut Baronius et Walchius[1], quos etiam nostra aetate Aschbachius (l. c. p. 91) et Renierus (Comptes-rendus des séances de l'académie des inscr. et belles lettres 1867 p. 110) secuti sunt, has lituras Christianorum in religionis suae persecutos odio tribuendas esse sibi persuadeat. Rossius qui ab hac suspicione christianos tutatus est (Inscr. christ. I p. X et Bull. l. c.) Diocletiani et Maximiani nomina in Hispania II 1439 post Maximianum occisum exsculpta esse demonstravit collato Lactantio de mort. persec. c. 42. A vero autem aberrasse idem vir doctus videtur, cum Diocletiani et Maximiani Augustorum et Galerii Caesaris nomina in Africa Alexandri usurpatoris, qui Constantii ut mortui nomini parceret, iussu deleta esse crederet. Neque enim intellegitur, id quod recte dixit Mommsenus (Eph. Epigr. I p. 123 sqq.), cur ille, cui nihil rei cum iis imperatoribus esset, permoveri potuerit ut tam graviter in eorum monumenta saeviret, neque convenit haec coniectura iis quae scriptores veteres tradunt, cum narret Zosimus II, 12 Alexandro a militibus, qui Galerio deditissimi Maxentii imperium abnuissent, purpuram traditam esse. Recte igitur hanc Rossii coniecturam reiciens Mommsenus (l. c.) etiam in Africa simul tam Diocletiani et Maximiani quam Galerii et Severi et Maximini statuas a Constantino a. 313,

---

in Africa VIII 2384 (cum Magnae Urbicae uxoris) 10157 cf. Eph. V 1153 (hoc in titulo remanserunt Cari et Numeriani nomina).

[1] cf. Rossium, Bull. dell' Inst. 1871 p. 167 c. adn.

quo anno Africa Maxentio de medio sublato in eius potestatem redacta est, deiectas esse statuit. Sed cum Constantino omnes has lituras deberi magnae habere probabilitatis speciem Mommseno ipso monente eum neque cum Galerio neque cum Severo bellum gessisse negandum est, tum inscriptionibus, quae huic rei lucem afferant maiorem, auctis iam manifestum est ne in Mommseni quidem coniectura acquiesci posse. Quod facile perspicies, si titulos, quos vir doctissimus composuit, et ea, quae de iis disseruit, conferes cum sequentibus:

1. Diocletiani nomen erasum est in Italia V 7248, in Africa VIII 2347, 2575, 8474, 9989 (Romae VI 1117 Diocletiani et VI 1118 Maximiani nomina eo demum tempore quo hae bases Constantinis dedicarentur deleta esse demonstravit Rossius l. c. p. 166).

2. Maximiani nomen erasum est in Italia V 7249, in Africa VIII 308, 2346, 2573, 2574.

3. Galerii nomen erasum est Romae VI 1137, in Africa VIII 2345, 2385[a] (altera in parte 2385[b]: Divo Galerio).

4. Diocletiani et Maximiani nomina erasa sunt in Africa VIII 309, 2572, Eph. V 272, 691, 1072.

5. Diocletiani et Galerii nomina erasa sunt Romae VI 3788.

6. Maximiani nomen erasum est, Diocletiani remansit in Moesia superiore III 1646, Romae VI 3743, in Africa VIII 9041, 10245, Eph. V 1077.

7. Maximiani nomen erasum est, Constantini I remansit Allmer n. 43.

8. Galerii nomen erasum est, Constantii remansit in Italia V 8068, in Africa VIII 10038, 10058.

9. Severi nomen erasum est, remansit Maximini in Africa VIII 10293.

10. Diocletiani et Maximiani nomina erasa sunt, remanserunt Constantii et Galerii in Hispania II 1439, in Africa VIII 232, 9988.

11. Diocletiani, Maximiani, Severi, Maximini nomina erasa sunt, remanserunt Constantii et Galerii in Africa VIII 10171 (?).

12. Diocletiani, Maximiani, Galerii, Severi, Maximini nomina erasa sunt, remansit Constantii Romae VI 1130.

13. Maximiani nomen erasum est, remanserunt Diocletiani, Constantii, Galerii in Asia III 450 (?), in Achaia III 502 (?).

14. Diocletiani, Maximiani, Galerii nomina erasa sunt, remansit Constantii in Africa VII 608, 1862, 4764.

15. Constantii nomen erasum est, remanserunt Diocletiani, Maximiani, Galerii in Asia Eph. V 1401.

16. Galerii nomen erasum est, remanserunt Diocletiani, Maximiani, Constantii in Italia V 8016, 8022, 8038, 8042, 8047, 8057, IX 6071, in Africa VIII 10430.

17. Severi nomen erasum est, remanserunt Constantii, Galerii, Maximini Inscr. Helv. 313 (Villeneuve).

18. Maximini et Licinii nomina erasa sunt, remansit Constantini in Italia V 8060a.

Haec perlustrans iam intellexeris et satis contortam et difficilem rem attingere qui de harum liturarum auctoribus quaesiturus sit et ea quae Mommsenus statuenda esse existimavit plus minus redargui. Neque enim verum est Diocletiani nomen non nisi una cum Maximiani deletum esse (cf. 1), neque fieri potest ut Constantinum omnium harum liturarum auctorem putemus. Iam igitur videamus num amplioribus instrumentis adiuti rem magis in lucem proferamus. Quod cum conemur, haud a re abesse videtur breviter res gestas in memoriam revocare.

Anno 305 postquam Diocletiani et Maximiani, qui imperio deposito privatam in vitam concesserant, loco Constantius, cui Gallia, Hispania, Britannia parebant, et Galerius, in cuius potestate Illyricum et Oriens erant, Augusti salutati sunt, Severus et Maximinus Caesares facti hic Syriam et Aegyptum, ille Italiam et Africam acceperunt. Sequenti autem anno cum in Gallia Constantio mortuo Constantinus ab invito Galerio Caesar agnitus in patris locum succederet, Romae Maxentius, Maximiani filius, a praetorianis Augustus senatu populoque acclamante salutatus una cum patre purpuram

sumpsit. Severus, qui a. 307 contra eos arma gessit, a militibus desertus Ravennae se tradere cogitur et interficitur. Atque foedere inter Maximianum et Constantinum icto eoque Maximiani filia Constantino nuptum data etiam sancto Galerius Severi mortem vindicaturus eodem anno magno cum exercitu in Italiam profectus ipse quoque nihil proficit sed infecta re discedit. Tum vero inimicitiis inter patrem et filium exortis Maximianus ex Italia fere sub finem a. 307 fugere coactus in Illyricum et inde in Galliam ad Constantinum generum se confert, cui cum Maxentio, cum quo in gratiam rediit, conscio insidias moliatur, a. 310 Massiliae occiditur. Insequenti anno Galerius, qui Licinium Augustum fecerat, moritur eodemque anno Maxentius Africam, ubi Alexander non multum post tyrannidem a Maxentio Romae arreptam imperium sibi vindicaverat, armis subigit. Anno 312 foedere inter Constantinum et Licinium facto Maxentius a Constantino atque a. 313 Maximinus, qui cum Maxentio foedere coniunctus fuerat, a Licinio debellatur. Itaque a. 323 Licinio ipso quoque devicto Constantinus solus Augustus remansit.

His in turbis brevissime perstrictis cuius iussu singula nomina scalprum subierint cum quaeramus, constare videtur in n. 16 Galerii nomen nullo alio auctore deletum esse nisi Maxentio scilicet in Italia a. 307, quo anno Galerius in Italiam invasit, et in Africa a. 311, cum Maxentius hanc provinciam in dicionem suam redegerat; unde etiam sequitur Maxentium Diocletiani et Constantii memoriae pepercisse. Neque minus certum est Severi nomen in n. 9 eiusdem Maxentii iussu exsculptum esse, nam Constantinum huius liturae auctorem haberi id vetat quod Maximini nomen illaesum mansit. Praeterea ex n. 10 colligitur Constantinum, a quo Diocletiani et Maximiani nomina tam in Hispania a. 310 post caedem Maximiani (cf. Lactant. de mort. pers. 42) quam in Africa a. 313 deleta sint necesse est, Galerii nomen non abolevisse, id quod confirmatur basi in Africa reperta in cuius una parte VIII 2385a Galerii nomen consilio sublatum est, cum in altera parte VIII 2385b litteris integris legatur: Divo

Galerio. Quae si vera sunt, de singulorum nominum erasorum auctoribus statuenda videntur haec: sublatum esse

Diocletiani nomen, in Italia (1. 5. 12), Africa (1. 4. 10. 11. 14), Hispania (10) erasum, iubente Constantino, id quod nihil habet quo offendat, nam illum infense contra Diocletianum se gessisse ex Aur. Vict. ep. 39, 7 satis elucet,

Maximiani nomen, in Italia (2. 6. 12), Africa (2. 4. 6. 10. 11. 14), Gallia (7), Moesia superiore (6), Hispania (10), Asia (13), Achaia (13) erasum, Constantino auctore in Gallia et Hispania a. 310, in Africa a. 313, contra in Italia aut Constantini iussu a. 312 aut Maxentii a. 307 huiusque certe, ut videtur, in n. 6, cum Diocletiani nomen remaneret, atque Galerii fortasse iussu in Moesia superiore, Achaia, Asia,

Constantii nomen, in Asia erasum (15) Licinii iussu,

Galerii nomen, scalpro non tactum nisi in Italia (3. 5. 8. 12. 16) et in Africa (3. 8. 14. 16) Maxentii iussu, hic a. 311, illic a. 307,

Severi nomen, in Africa (9. 11), Italia (12), in Gallia (17) erasum, cum Maxentii iussu in n. 9 et fortasse in nn. 11. 12 tum Constantini in n. 17,[1]

Maximini nomen, in Africa (11), Italia (12. 18) erasum, Constantini iussu, cum in oriente eius memoria, id quod Euseb. Hist. eccl. IX 11, 30 fuse narratur, Licinio auctore aboleretur.

In nn. igitur 5. 11. 12. 14 singula nomina neque eodem tempore neque eodem auctore erasa esse videntur, in n. 18 ea tempore quidem eodem sublata non esse manifestum est.

[1] Mirum non est quod Constantino a. 307, quo anno Severus interfectus est, Maximiano et Maxentio foederato in Gallia (17) Severi nomen deletum deprehenditur, contra quid Constantinum permovere potuerit ut a. 313 Severi nomen abolendum curaret, nequaquam intellegitur. Itaque cum in n. 11 Galerii nomine illaeso Severi nomen a. 311 Maxentii iussu erasum esse statui non possit, id iam a. 307 Maxentii iussu scalprum subiisse videtur. Quod fieri potuisse concedes, nam etsi nescimus quo tempore Alexander a Maxentio desciverit, tamen e Zosimo II 12 eum non statim palam Maxentio obstitisse constat. Sin autem verum sit Severi nomen hoc ex titulo a. 307 sublatum esse, inde sequatur Alexandrum statim post Severi mortem diadema sumpsisse.

Constantini nomen in Italia X 1482 exsculptum est, quae litura quo tempore facta sit nisi sub Magnentio tyranno a. 350/51 non video.

Aliorum nomina, quae praeterea causis satis apertis in inscriptionibus erasa deprehenduntur, sunt:

Maxentii in Italia IX 114 cf. supr. p. 20 adn. 2,

Licinii[1] eiusque uxoris Constantiae Romae VI 1153 et Licinii filii in Dalmatia III 1968 et in Italia V 8015[b],

Crispi in Hispania II 4107 (?) et in Italia V 8021[b], 8030[a], IX 6386[a], X 517, 678 eiusque novercae Faustae in Italia X 678, quos omnes Constantinus interfecit,

Constantini II, a. 340 contra Constantem fratrem arma gerentis, in Italia V 8030[a], Africa Eph. V 303, Norico III 5207, Asia III 474, 477,

Constantis, a. 350 a Magnentio tyranno imperio vitaque privati, in Africa VIII 7012, 7013, Eph. V 1038,

Constantii II, cuius nomen, haud dubie in bello contra Magnentium gesto erasum, in Africa VIII 8475[add] in litura repositum est,

Magnentii, a. 351 a Constantio devicti, Romae VI 1166[a] et in reliqua Italia IX 5940 cf. supra p. 20 adn. 2,

Galli, a. 354 Constantii iussu necati, in Cypro III 214,

Maximi, a. 388 a Theodosio de medio sublati, in Africa VIII 27, cf. supra p. 20 adn. 2.

---

[1] In Italia V 31, 330, 8021, 8060, 8963, IX 6068, X 6973, in Hisp. II 4105 (?), in Africa VIII 8713, 10090, 10246, Eph. V 1099, in Asia Eph. V 1404; in VIII 210 nomen in bello scilicet Cibalensi a. 314 erasum post bellum confectum in litura repositum est.

Cap. II.

De privatorum nominibus erasis rescriptisve.

Iam ad privatos quorum nomina erasa vel in litura reposita sunt accedens primum eos, de quibus constat vel certe probabiliter conici potest quinam sint quibusque de causis nomina eorum scalprum subierint, ad ordinem temporum perlustraturus sum.

M. Antonii, quem esse primum de cuius memoria abolita monumentis nobis servatis edoceamur supra dixi, nomen in fastis Capitolinis in litura repositum primus observavit Borghesius atque inde, cum Antonii memoriam a. 724/30 damnatam esse certum sit (v. supr. p. 11) conclusit fastos Capitolinos usque ad annum quidem 717/37 ante a 724/30 in lapide incisos esse (framm. di fasti p. 5 sqq). Quam Borghesii sententiam contra Hirschfeldium, qui fastos Capitolinos anno demum 742/12 insculptos esse demonstrare conatus illud certum argumentum coniecturae suae oppositum infirmare studuit, cum diceret etiam post memoriam Antonii damnatam eius nomen in fastis, in quibus commemoraretur necesse esset, ita inscribi potuisse ut litura, in qua poneretur, abolitum esse indicaretur (Hermes IX p. 93 sqq. ibid. XI p. 154 sqq.) hac mira de memoriae abolitione sententia recte reiecta denuo confirmavit Mommsenus (Roem. Forsch. II p. 58 sqq.), cum acta triumphalia anno demum 742/12 incisa esse Hirschfeldium recte coniecisse nomine Antonii his in actis a. 774/40 illaeso probetur. Una cum Antonii triumviri nomine fastis Capitolinis a. 707 et 717 et Colotianis a. 710 et 711 erasi aliorum quoque Antoniorum nomina fastis exempta sunt, id quod ut rerum gestarum ratione habita mirum non est ita nihil sui simile habet, nisi quod Suetonio (Cal. 60) teste post Caligulae obitum senatores quidam omnium Cae-

sarum memoriam abolendam censuerunt. Quod autem nomina in litura omnia reposita sunt, id sub Augusto iam factum esse recte perspexit Nipperdeius (ad Tac. ann. III 18), cum alii [1] a Claudio alii [2] a Caligula Antonii memoriam restitutam putassent. Itaque etiam Antonius, etsi fasti Venusini a. 720/34, quippe cuius anni consulatus ei restitutus non sit (v. supra p. 23) eius nomen omittunt, in titulo urbano VI 1364 sub Tiberio, ut videtur, posito commemoratur.

Quod Aurelio Cotta consule nomen Cn. Calpurnii Pisonis, qui quod rerum novarum studiosus esset et Germanicum veneno peremisset accusatus a. 20 p. C. mortem sibi conscivit, fastis radendum censente Tiberius ut illud maneret illaesum cavit (Tac. ann. III 17. 18), id non impedivit quominus illius nomen ex titulo urbano VI 385 scalpro tolleretur. Hoc enim in titulo, ludorum ex senatus consulto pro reditu Augusti a Tiberio consule a. 747/7 factorum monumento, Bormannus, qui repperit, post versum octavum vidit unum versum de industria deletum (Bull. dell' Inst. 1879 p. 40) a Mommseno (Eph. Epigr. IV 740) sic restitutum: cum Cn. Calpurnio Pisone conlega.

L. Aelii Seiani a. 31 in ipso consulatu damnati nomen erasum est titulo Pompeiano X 898, quo in titulo erasi nominis loco rescriptum est: Aug. V. cf. p. 22 adn. 2.

C. Asinii Galli iam a. 30 a Tiberio accusati atque in custodia a. 33 occisi (Dio 58, 3. Tac. ann. VI 23) nomen in titulis Ephesio III 6070 et Laudensi V 6359 scalpro tactum est.

---

[1] Borghesius, quem secutus est Henzenus C. I. L. I p. 422, l. l. collato Suet. Claud. 11.

[2] Mommsenus, Res gest. Divi Augusti ed. I p. 129. Eundem ibid. ed. II p. 181 non dixisse vellem Augustum, quem usque ad mensem Sextilem a. 29 in oriente moratum esse scimus, Antonii nomen ex fastis tolli iussisse. Contra senatus iussu eius nomen deletum est improbante haud dubie Augusto qui, ut Mommsenus antea (Röm. Forsch. II p. 78) probabiliter coniecit, postquam ex oriente rediit, id rescribendum curasse videtur. Neque fortasse sed certo Augustum eius memoriae restitutionis ipsum auctorem fuisse cum ex aliis causis (v. supra p. 14) tum ex ipsis Taciti verbis satis, opinor, apparet.

M. Furius Camillus Scribonianus, consul a. 32 et legatus Dalmatiae sub Claudio, a. 42 contra imperatorem seditionem movit, qua de causa nomen eius in titulo Interamnati Wilm. 64a et fortasse in actis fr. Arval. a. 40 abolitum est (Henzen act. p. L. Suet. Claud. 13. Dio 60, 15, 16) cf. p. 22 adn. 2.

Ad seditionem a Camillo Scriboniano factam etiam Q. Pomponii Secundi, quem acerbitate accusationis ad necessitatem belli civilis detrusum (Tac. ann. 13, 43) Camilli partes secutum atque post illum oppressum a. 42 interfectum esse probabiliter conicit Henzenus (Bull. dell' Inst. 1870 p. 133), nomen in fastis fer. Lat. VI 2015 deletum redire videtur.

In titulo Faleriensi IX 5420 P. Valerii Patruini consulis a. 82 collegae nomen, quod consilio sublatum est, esse L. Antonii Saturnini legati Germaniae superioris qui a. 89 imperio arrepto a Norbano Maximo devictus est (Suet. Dom. 6. 7. Dio 67, 11), putat Borghesius (oeuvres VII p. 395).

C. Calpurnius Crassus Frugi, cuius nomen in titulo urbano nuper reperto (Bull. dell' Inst. 1885 p. 23) abrasum est, putante Henzeno idem est Calpurnius Crassus qui ob conspirationes deinceps contra Nervam et Traianum factas ab illo Tarentum relegatus (Victor. Ep. XIII 7, Dio 68, 3), ab hoc in insulam deportatus (vit. Hadr. 5, Dio 68, 16) atque sub Hadriano insula egressus, quasi res novas moliretur, a procuratore iniussu imperatoris occisus est (vit. Hadr. l. c. Mommsen Eph. Epigr. I p. 143).

Avidii Cassi, Syriae sub M. Aurelio legati, qui imperium affectans a. 175 hostis a senatu iudicatus est (vit. Marci 24), nomen in titulis Syriacis (Le Bas-Waddington III 2212, 2237, 2331, 2438, 2525, 2528) tam leviter erasum est ut facile legatur. Quod utrum cum Waddingtonio gratiae, qua in oriente floruerit Cassius (vit. 6), tribuendum sit an scalptoris pigritiae, quae etiam invidiosissimorum tyrannorum nomina deleta ut sine ullo labore legantur saepe effecit, aliquantum dubito.

Perennis, praefecti praetorio filii, qui una cum patre a. 184 (vide Eckhel doctr. VII p. 136) interemptus est

(Herod. I 9. vit. Comm. 6, 1, 4), esse nomen legati Pannoniae inferioris, quod in titulo Commodo posito III 3385 erasum deprehenditur, Borghesius (ad hunc locum) conicit.

Sex Quintilii Condiani consulis a. 180, cuius omnis domus a Commodo exstincta est, (vit. Comm. 4. Dio LXXII 5—7), nomen Romae in fastis VI 1991 deletum est cf. p. 22 adn. 2

Mamertini consulis a. 182 et sororis Commodi mariti ipsius quoque a Commodo occisi (vit. Comm. 7) nomen exsculptum est in titulo Moesiaco III 6223 cf. Eph. Ep. II 362.

Q. Clodium Rufinum legatum Aug. pr. pr. provinciae Numidiae a. 191, cuius nomen 'leviter erasum facile legitur' VIII 4211, eundem esse Clodium Rufinum puto, qui inter senatores a Septimio Severo post Clodium Albinum victum interfectos commemoratur (vit. Severi 13).

L. Domitio Gallicano Papiniano legato Aug. pr. pr. Germaniae inferioris et Hispaniae citerioris teste titulo Hispaniensi II 4115, qui nomen illaesum habet, idem contigit ob eandem causam eodemque auctore, si modo vera est coniectura Bergkii (Zur Geschichte und Topographie des Rheinlandes in röm. Zeit, p. 56), qui illum a Clodio Albino stetisse eique titulum C. I. Rh. 453, in quo legati Germaniae inferioris et Hispaniae citerioris nomen scalpro sublatum cernitur, positum fuisse sibi persuasit.

C. Fulvii Plautiani, praefecti praetorio sub Septimio Severo (Hirschfeld, röm. Verwaltgesch. p. 230), quem cum iam antea aliquantum temporis Severus 'ita odio habuit, ut et hostem publicum appellaret et depositis statuis eius per orbem terrae gravi eum insigniret iniuria', a. 205 instigante Caracalla genero occisus est, nomen exsculptum est Romae VI 220, 224, 225, 227, 354, 643, 1035, 1074, in reliqua Italia V 2821, in Raetia III 5802, in Asia III 6075, in Africa VIII 2557, 2655.

C. Petronius Magnus decurio, cuius nomen in titulo Canusino IX 338 erasum est, fortasse, id quod dicit Mommsenus, est idem Magnus, vir consularis, qui factione contra Maximinum parata interemptus est (vit. Maximini 10. Herod. 7, 1, 4).

Fabii Titiani consulis a. 337 et praefecti urbi sub Constante inde ab anno 339 usque ad a. 341 iterumque sub Magnentio, cuius in partes transgressus est, a. 350 et 351, nomen in titulo urbano VI 1166a deletum est una cum Magnentii, quamquam Constantium, qui tyrannum a. 351 debellavit, postea cum Titiano in gratiam rediisse ex Julian. or. 2 p. 178 (ed. Par.) et Themist. or. 6 p. 80 c (ed. Hard.) colligitur (cf. Borghesi, oeuvres III p. 461 sqq.).

Virginis cuiusdam Vestalis maximae nomen deletum est in titulo urbano a. 364 posito Notizie degli scavi 1883 n. 13. Quae cum aut damnata sit aut ad fidem christianam transierit necesse sit, Marucchius (Bull. dell' Inst. 1884 p. 33) his Prudentii versibus allatis (Peristeph. II 525 sqq.):

vittatus olim pontifex
ascitur in signum crucis,
aedemque Laurenti tuam
Vestalis intrat Claudia

eius nomen propter fidem mutatam abrasum esse putavit. Altera autem causa a Rossio (Bull. l. c.) probata est, qui cum haec Symmachi (IX ep. 108 ed. Seeck) verba ad Vestalem, cuius nomen periit, scripta: 'diceris ante annos legibus definitos Vestali secreto velle decedere' conferens sub christianis quidem imperatoribus virgines Vestales impune Christianas fieri potuisse ostendit, tum alium Symmachi locum (libro eodem ep. 147, 148) laudavit, quo Primigeniae virginis Vestalis ob incestum eo tempore damnatae mentio fit.

Proculi praefecti urbi Constantinopoli inde ab anno 389 usque ad a. 392, quo anno auctore Rufino capite damnatus est (Zosim. IV 52), nomen in titulo Constantinopolitano III 737 erasum postea, cum post caedem Rufini a. 395 eius memoria restitueretur (v. Gothofred. prosopogr. Cod. Theod. p. 80 et C. Th. 9, 38, 9) in litura repositum est.

Stilichonis magistri utriusque militiae a. 408 Honorii iussu occisi (Zos. V 32—37. Cod. Theod. VII 16, 1) nomen scalpro tactum est in titulis urbanis VI 1188, 1190, Eph. IV 849, intactum VI 1189, 1706, 1730, 1732, 1733.

His lituris subiungimus eas, quae quo referendae sint quamvis ne conicere quidem liceat, tamen eo consilio factae esse videntur, ut abrasum nomen ex memoria revelleretur.

Erasa autem sunt nomina

1) hominum **senatorii ordinis:**

fratris Arvalis in actis a. 14; pontificis ineuntis saeculi IV Romae VI 2153;

praefectorum urbi: Longiniani a. 402 vel 403 VI 1188, 1190 et Rufii Praetextati Postumiani consulis a. 448 VI 1761;

consulum: in Italia IX 4395, in Dacia III 1066, in Pannonia superiore III 3905 et 3909 (utriusque), in Pannonia inferiore III 3344 Oclatinii Adventi consulis a. 218, ut Mommseno quidem visum est, ibidem III 3427 Maximi consulis a. 233, in Italia V 3223 (cf. add.), ibidem Feliciani consulis a. 337 X 476;

legatorum Aug. pr. pr.: Hispaniae citerioris sub Augusto II 2703, ut videtur, eiusdem provinciae II 4114 Tib. Cl. Candidi sub Septimio Severo ducis hoc ipso titulo teste adversus rebelles (i. e. Pescennium Nigrum et Clodium Albinum, quorum nomina tacentur) pugnantis, cuius nomen in litura repositum est, Numidiae sub M. Aurelio VIII 2581 Eph. ep. V 688 anni 167 et fortasse eiusdem VIII 2348 et 4208, Daciae III 1309 sub Caracalla aut Elagabalo, eiusdem provinciae Eph. II 394 incerti temporis, Pannoniae inferioris III 3720, 3724, 3725, 3726, 6467, Eph. II 757 sub Macrino, eiusdem provinciae III 3417 incerti temporis, Britanniae VII 1043 sub Caracalla, eiusdem provinciae VII 995 incerti temporis;

legati legionis XIII gem. in Dacia III 1032 et fortasse eiusdem 1062;

correctoris Lucaniae et Bruttiorum in Italia X 4;

praepositi limitis a. 301 in Mauretania Caesariensi VIII 9025;

viri clarissimi una cum Constantini I nomine in Italia X 1482;

2) hominum **equestris ordinis:**

procuratoris in Syria III 183;

praefecti alae exploratorum Pomariensium Gordianae in Mauretania Caesariensi VIII 9907;

Gentiani viri perfectissimi in Italia X 476;

tribuni coh. X praet. in Pannonia superiore III 4037;

3) **magistratuum municipalium:**

magistrorum in fastis Antiatibus X 6638 a. 37. 39. 42 et in fastis X 6637 = VI 8639 a. 65 et 66;

4) hominum **obscurioris gradus:** optionis VIII 2554 in castris Lambaesitanis, veteranorum, quorum unum nomen in litura repositum est, Lambaesi VIII 2626, militum gregariorum, quorum nomina item in litura reposita sunt, aetatis Elagabali VIII 2564 in castris Lambaesitanis, item 2567; aliorum hominum sordidissimorum in Hispania II 2056, in Pannonia superiore III 4150, in Italia V 540, 5713, X 1403.

Cap. III.

De legionum nominibus erasis rescriptisve.

Vetustissimum exemplum nominis legionarii erasi habemus in titulo Vindonissae reperto (Inscr. Helv. n. 248), quem Claudii aetate positum esse ex altero huius tituli fragmento postea ibidem reperto (Ber. der antiquar. Gesellschaft zu Zürich XV n. 29) perspicitur. Etenim Pomponius Secundus legatus, cuius nomen duobus fragmentis compositis certo restituitur, haud dubie est idem Pomponius Secundus, qui teste Tacito (ann. XII 27) a. 50 legatus Germaniae superioris erat. Eo autem tempore usque ad a. 69 Vindonissae legionem XXI Rapacem castra habuisse cum sciamus, huius legionis nomen deletum videtur, id quod etiam eo confirmatur quod tres numeri erasi cernuntur. Neque etiam dubitari potest quin legionis, quae post Domitianum non commemoratur, nomen ob eandem causam deletum sit, ob quam illa exauc-

torata est. Sed cur quandoque hoc factum sit, neque scriptores veteres tradunt neque viri docti nostrae aetatis adhuc certa coniectura indagare potuerunt. Nam cum Bergkius (Zur Gesch. u. Topogr. des Rheinlandes p. 68—71) sibi persuaserit legionem propter Antonii Saturnini seditionem a. 89, factam exauctoratam esse, Schillerus (Roem. Kaisergesch. I p. 531) putat legionem, quam in expeditionibus a Domitiano in Sarmatas susceptis cum legato simul caesam esse Suetonius (Dom. 6) et Eutropius (7, 23, 4) narrant, esse legionem XXI Rapacem ab imperatore propter ignaviam eo tempore sublatam.

Nomen legionis III Gallicae erasum est C. I. L. III 186 206 Le Bas-Wadd. III 1845, 2413, 2438, 2445 C. I. Gr. 4548. Hanc legionem ab Elagabalo, contra quem huius legionis legatus Gellius Maximus arma moverat (Dio 79, 17), exauctoratam esse haud improbabiliter coniecit Mommsenus (ad III 206), quamquam ea postea restituta sit necesse est (cf. Eckhel III p. 333). Titulum vero Le Bas-Wadd. III 2438 imperatori Marco positum non demonstrare lituram, quae hoc in titulo cernitur, ad seditionem Cassianam redire apparet.

Legionis III Italicae nomen in unico titulo III 5823, in Raetia reperto, erasum in lituraque repositum est. Alterutrum quando evenerit, non disputo, id unum certum videtur titulum non ante Caracallam positum esse, cum post legionis numerum etiam cognomen ab imperatore quodam sumptum, quod post imperatoris mortem nimirum restitutum non est, in lapide scriptum fuisse ex eo eluceat quod solus legionis numerus lacunam non explet.

Legionis III Aug. nomen cur in tam multis titulis Africanis deletum sit, magis liquet. Nam cum legionis legatus Capellianus Gordianos in Africa opprimeret, non multo post ab imperatore Gordiano minore legionem sublatam esse certum est, quamquam id non statim factum esse demonstratur titulo Lambaesitano VIII 2675, qui Maximini nomen erasum, legionis illaesum habet. Postea Valerianus a legionibus Germanicis, inter quas milites legionis exauctoratae distributi erant, imperator factus a. 253 tribus titulis VIII

2482, 2634, 2852 testibus legionem restituit itaque multis in titulis eius nomen in litura repositum est (cf. Mommseni C. I. L. VIII praef. p. XX sq.).

In laterculis praetorianorum urbanis VI 2388 aetatis fortasse Caracallae et VI 2396 incerti temporis, quod litterae pr(aetoriae) scalpro deletae sunt, id quo referendum sit, plane in obscuro latet.

Vita.

Natus sum Carolus Augustus Godofredus Immanuelis Zedler Nonis Decembribus a. h. s. LX in oppido Vegesack patre Henrico, ibidem verbi divini ministro, matre Anna e gente Meyer. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum primordiis imbutus in Real-gymnasium, ut nunc quidem vocatur, patrii oppidi receptus ibique per sex annos versatus sum. Tum adii gymnasium Bremense, cuius Guielmo Hertzberg et Constantino Bulle deinceps directoribus florentis per alteros sex annos discipulus fui. Vernali tempore anni LXXXI maturitatis instructus testimonio Tubingam me contuli studiis philologicis et historicis operam navaturus. In alma illa litterarum matre docuerunt me viri egregii v. Gutschmid, Kugler, Rhode, Schwabe, v. Sigwart. Ut seminarii historici per annum essem sodalis benigne permiserunt v. Gutschmid et Kugler, viri mihi grata semper memoria colendi. Tubinga relicta a. LXXXII Lipsiam profectus sum ibique scholis interfui quas habuere vv. cc. Arndt, Curtius, Eckstein, Gardthausen, Heinze, Hirzel, Lange, Lipsius, Maurenbrecher, Overbeck, Ribbeck, Voigt, Wenck, Wundt, Zarncke nec defui proseminario et seminario philologico. Praeterea seminarium historicum dirigente Maurenbrechero et Gardthauseno paedagogicumque Ecksteinii frequentavi atque sodalis fui ordinarius societatis philologicae Ribbeckii, antiquariae graecae Lipsii, antiquariae romanae Langii. His viris cum omnibus tum maxime Victori Gardthauseno et Ludowico Langio summas ago gratias.

Conspectus.

Particula I.

Particula II.

